



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Tertium

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Titulus XXXI. De Regularibus transeuntibus ad religionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74526)

fargitione donata; & omnia ea, aut respuenda esse, aut decimas ipsos soluturos: refert Manrique tom. 4. *annal. Cisterc. anno 1213. cap. 22.* Cujus constitutionis Capituli generalis Cisterc. meminit Innocentius III. *in presenti*, & statuit, prædictam moderationem esse observandam, non solum ab ipsis Cisterciensibus, verum & ab aliis æquale privilegium exemptionis habentibus. Verba hujus textus refert Manrique *dicto tom. 4. anno 1213. cap. 12. & anno 1215. cap. 5. num. 6.*

COMMENTARIUM.

2. **C**um in præsentis textu modus imponatur privilegii exemptionis à solutione decimarum diversis monachorum Ordinibus concessis, ita ut de prædiis noviter acquisitis decimas ipsi exempti legitimis parochis exsolvant; & postea plura alia privilegia circa eandem exemptionem ipsi monachi, & alii Religiosi à Sede Apostolica impetraverint, vulgò quæri solet, an in similibus privilegiiis debeat fieri expressa mentio, & derogatio hujus textus? Et expressam ejus derogationem desiderari docuerunt plures, quos sequitur Barbosa *in presenti num. 1. & de jure Eccles. lib. 3. cap. 26. num. 37.*

Noguerol *alleg. 39. num. 24.* Gutierrez *lib. 2. canonic. cap. 21. num. 136.* Rota apud Tamburinum *tom. 3. de jure Abbatiss. decis. 94.* Larrea *alleg. 52. num. 2.* Solorzano *tom. 2. lib. 3. cap. 21.* Qui moventur ex eo, quia cum præsens constitutio Concilii generalis sit, debet fieri ejus expressa derogatio, juxta communem sententiam, quam tuentur plures, quos referunt, & sequuntur Balboa *in cap. 1. de judicis. num. 3.* Barbosa *ad Concilium Trident. sess. 1. cap. 1. Fragolo de regim. Christ. Reip. p. 1. lib. 1. disp. 1. §. 7.* Sed contrarium, & rectius, docuerunt Menochius *consil. 196. num. 9.* Rota apud Cavallerium *decis. 430.* & apud Seraphinum *decis. 331. frances. 1. p. decis. 764.* Marquellanus *de commiss. 2. p. pag. 424.* Nam verius est, etiam constitutionis conciliaris necessariam non esse expressam; & specialem derogationem; sed sufficere clausulam illam generalem, *non obstantibus, & cætera*, ut docent plures congesti à Barbosa *de clausulis, clausul. 82.* Basiliius *de matrim. lib. 8. cap. 17. §. 2. num. 29.* unde est præsens constitutio esset conciliaris, quod negandum est; juxta tradita *in cap. 1. de summa Trinit.* non desideraretur ejus specialis derogatio, licet in nonnullis privilegiis ad majorem securitatem eam clausulam derogatoriam hujus textus adjectam legerim.

CAPUT XXXV.

(a) Gregorius IX.

Inter dicimus universis personis ecclesiasticis, ut decimas detentas à Laicis, ad alienas Ecclesias pertinentes, in pignus recipere ab eisdem laicis non præsumant.

NOTÆ

1. (a) **G**regorius IX.] Qui motu proprio præsentem edidit constitutionem, intendens decimas à laicis occupatas virtute infeudationis Pontificiæ facilius recuperari; nam cum laici eas præscribere nequirent, *cap. causam que 7. de præscript.* Ecclesiastici verò possint, ideo facilius Ecclesia poterat eas à laicis recuperare. Quæ fuit etiam

ratio textus *in cap. in Lateranensi 31. de præbend. cap. cum Apostolica, de his que fiunt à Prelat. cap. cum & plantare 3. de privileg.* Ideoque prohibet Gregorius decimas pignori dari sub spe redemptionis; quod plerumque fiebat à monachis, & personis, qui eas obtinere non poterant, ut probavi supra *in cap. quisquis de elect. pro expositione textus in cap. 1. de usuris; & præsens commentarium petendum est ex adductis supra in cap. prohibemus.*

TITULUS XXXI.

De Regularibus transeuntibus ad religionem.

CAPUT I.

Ex Concilio (a) Mogunt.

De clericis hoc statuimus, ut ii, qui hætenus inventi sunt, sive in canonico, sive in monachico ordine tonsurati sine eorum voluntate, si liberi (b) sunt, ut ita permaneant; & deinceps cavendum, ut nullus (c) tondeatur sine legitima (d) ætate, spontanea que voluntate, vel cum (e) licentia domini sui.

D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. III. Pars II.

Hhh

NOTÆ

N O T A.

1. (a) **M**Ogunt.] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 3. & verba huius textus reperiuntur in ipso Concilio Moguntino temporibus Caroli Magni celebrato anno 813, ab Hildebaldo, quem Galli vocant magnum Eleemosynarium, qui fuit Archicapellanus Imperatoris: unde in principio ipsius Concilii pro Archiepiscopo, legitur Archicapellano Filefacus in cap. 9. circa finem, de offic. Ordin. Hæc Synodus celebrata fuit tempore Ricolphi Archiepiscopi Moguntini, die 1x. Junii, anno 813, in claustrum Ecclesiasticum, ut probat Severinus Binius in notis ad dictum Concilium. Ex cuius Concilii canone 23. ita restituo præsentis textus literam, prout jacet in editione Bini.
2. (b) **Si liberi sunt.**] Id est non servi, ita tonsurati; nam si servi absque propria voluntate, simulque licentia domini sui tonsurati erant, propriis dominis reddebantur, quia absque eorum manumissione ad ordinem clericalem, seu statum monasticum promoveri non debebant, ut latè probavi in cap. 1. de servis non ordin.
3. (c) **Tondeatur.**] De tonsura clericali, & ejus origine egi in cap. si quis ex clericis, de vita & honest. cleric. quare tantum de tonsura monachorum in præsentem agendum est. Et constat, jam à primis Ecclesiæ seculis in usu fuisse monasticam tonsuram. Unde dum Dionysius describit ritum, cum quibus suo seculo ad statum monachorum admittebantur candidati, part. 2. hierarch. cap. 6. ait: *Moris fuisse post omnium abrenunciationem signi crucis consignatione à sacerdote tonderi cum invocatione Trinitatis, ac tunc demum veste nova indui.* D. Augustinus epist. 147. *Per coronam nostram nos adjurant vestri; per coronam vestram vos adjurant nostri.* Et in Concilio Nicæn. ita cavetur: *Monachi alia habeant indumenta, & mores, quam habent laici, ac caput tondeant in modum coronæ.* Concilium Tolet. 4. can. 17. ibi: *Nullus sub religionis habitu attonsus.* Et can. 55. ibi: *Non aliter & hi, qui detonsi fuerunt à parentibus, aut sponte sua.* Epiphanius hæresi 80. Beda lib. 5. de gest. Angl. cap. 22. D. Gregorius lib. 9. registr. epist. 44. *Volumus ut maritum suum illi, etiamsi tonsuratus est, reddere omni debeas excusatione cessante.* Beda in Martyrol. die xviii. Kalend. Febr. ibi: *Coma deposita monachorum pater exciit.* Idem Kalend. Maji: *Coma deposita religionis habitum suscepit.* Socrates lib. 3. cap. 1. de Juliano Apostata ait, ipsum abrafâ cute vitam monasticam simulasse: olimque monachis totum caput tondebatur, ut videre est in Theoria S. Germani Episcopi CP. Postea Græci attonsi fuerunt in modum crucis, ut liquet ex Græcorum Euchologio. Hodie qui choro deputati sunt, toto capite tondentur, excepto inferiori capillorum circulo, juxta antiquam formam clericorum, quæ statuitur in Concilio Tolet. 4. can. 46. Aquisgran. sub Ludovico, cap. 1. ex D. Isidoro lib. 2. de Eccl. offic. cap. 4. Gregorio Turon. in vitis Patrum, cap. 57. Varias hujus rasuræ causas afferunt Rhenatus Labarr. ad calcem lib. Terul. de corona militis. Prosper Stellarius in opere de Coronis, & rasuris: ex quibus communes cum clericis illustravi in cap. si quis ex clericis. Optimam rationem adducit D. Hieronymus relatus in cap. duo sunt 12. q. 1. ex eo, quia per talem attonfionem religiosos omnium rerum secularium curam

deposuisse credatur. Facit Ivo Carnot. sermone de sacror. ordin. excel. Si paupertatem, & humilitatem quam præfert habitus corporis, & figura capitis, corde non habetis, timo ne cum hypocritis sit pars vestra, & spes vestra ab æterna mercede sit vacua, qui non ut clerici, sed ut acephali in clericali militia, sola queritis lucra temporalia. Ad hoc quidem capillos in modum coronæ in summitate capitis raditis, ut & regnum spirituale, quo ceteris præeminetis, tali figurâ ostendatis, & cura mortalis illecebras frequenter redeuntos sic amputetis de corde, sicut crines frequenter surgentes abraditis de capite. Alia etiam rasuræ ratio peti potest ex veteri ritu deponendi capillos olim in mari tempore procellæ, de quo præfco usu videndus Ferdinandus à Cordova in multiplici Diâsc. cap. 22. Similiter enim religiosi fugientes à tempestate, in portu religionis se recipientes, dimitunt capillos in seculi maris procellis. Alium affinem ritum antiquum, quo capilli monacho refecti consecrabantur, refert Sanctus Aurelianus in cap. 4. sue regulæ, ibi: *Si quis laicus tonsurandus est, de capillis illius in confessionem mittatur, ut ei in testimonium sit, hoc est, ut id sit monumentum, ac symbolum consecrationis, quâ se Deo addidit.* Confessionem in eo textu accipit Theophilus in Hiparco, sive de Religioso negotiatore, pro loco, in quo conditum jacebat aliquis Martyris corpus: quod intelligo non tantum de communi loco, sive sacello, in quo sanctum corpus jacet; sed etiam de loco proprio, puta capla, quâ reliquia concludebantur; nam eam quoque aliquando confessionis nomine donatam legimus, ut apud Anastasium Biblioth. in vita Hilarii, cum ait, eum Pontificem construxisse ex argento confessionem S. Joannis Baptistæ, penitentem libras centum; quod nemo de templo, vel de sacello accipiat, sed tantum de capella, seu tabernaculo. Manet ergo, jam à primis seculis monachos attonfos fuisse; unde detonsus pro monacho, crebrum est apud veteres, & notavit Alemanus ad histor. arcan. Procop. beneque confirmatur ex eo, quod Sanctus Augustinus monachos comatos, atque crinitos, non attonfos cæterorum more, habet pro monachis. Probant antiquitatem hujus sacri ritus contra centuriatores, qui centur. 4. cap. 6. pag. 467. ut superstitiosam, & sacræ Scripturæ contrariam tonsuram monachorum improbarunt, Bellarminus tom. 1. contror. lib. 1. cap. 4. Lindembrog. in Glossar. verbo Comam deponere, Hurtado de vero marty. tract. penult. resol. 6. §. 13. fol. 405. Zerda in advers. cap. 42. num. 12. Saulay in Panopl. cleric. part. 1. lib. 1. Alemanus ad Procopium, pag. 6. linea 5. Loayfas in can. 6. Concilii Tolet. 6. Corjolanus in breviario, anno 167. Baronius anno 57. & 58. num. 54. Jodoc. Coccius lib. 4. thesaur. fidei Cathol. artic. 7. Hærophitenus lib. 5. disquisit. monast. tract. 9. Menardus in notis ad concord. regul. cap. 14. §. 10. Bravo ad regulam D. Benedicti, cap. 1. num. 22. Hallierius de sacris elect. in apparat. de tonsura cleric.

Circa attonfionem verò virginum Deo dicatarum non ita liquet; nam etiam crinibus dimissis eas consecrati, constat ex Optato Melvit. lib. 6. qui increpans Donatistas ait: *Spirituali sponso crimem solverant, jam cælestes celebraverant nuptias. Quid est quod iterum crimem solvere eas coegisti?* D. Hieronymus epist. 48. ibi: *Moris est in & Syria monasteriis, ut tam virgo, quam vidua, quæ se Deo voverint, & seculo renunciantes, omnia delicias seculi conculcaverint, crimem monasteriorum matribus offerant dissecandum, non inrecto postea*

contra Apostoli voluntatem incessare capite, sed ligato, pariter & velato. Quod & de Taboniotitis refert Palladius; immo & Vestales, auctore Plinio lib. 16. cap. 14. incisos capillos ad arborem Lotos suspendebant, quæ capillaris arbor idcirco à Festo dicitur notatur Landmeter. lib. 1. de veteri mon. cap. 103. Raderus in Martialem lib. 6. epigram. 17. Prosperus Stellarius lib. 1. de coronis, cap. 6. pag. 25. Hinestrofa in diatrib. de barba & coma, p. 1. num. 11. Acunna in cap. prohibete, 23. dist. num. 5. Semel tamen tonsæ Vestales in ingressu, postea alebant comam, ut notavit Lipsius de Vestalibus cap. 12. Econtra verò virgines Deo devotas comam deponere non debere, statuitur in can. 16. Concilii Gangrensis, in cap. quæcunque, 30. dist. ubi cavetur, ut si qua mulier propter eam, quæ vocatur exercitatio, id est ob vitam monasticam, tondeat comam, excommunicetur; & in l. nulla 27. §. fœmine. C. Theod. de Episcop. & cler. ita Imperatores sanxerunt: Fœmine, quæ crinem suum contra divinas, humanasque leges instinctu persuasæ professionis absciderint, ab Ecclesia foribus arceantur. Non illis fas sit sacrata adire mysteria, nec ullis supplicationibus mereantur veneranda omnibus altaribus frequentare; adeo quidem, ut Episcopus, si tonsæ capite fœminam intrare permiserit, dejectus loco etiam ipse cum huiusmodi contubernis arceatur; ac non modo si fieri suaserit, verum etiam si hoc ab aliquibus exequi, factum denique esse quæcunque ratione comperit, nihil sibi intelligat opulari. Sed verius credo, non fuisse omnibus Ecclesiis in tondendis virginum crinibus eundem usum, nec ubique fuisse sanctimonialibus comam abscissam, ut post Baronium anno 57. num. 92. & in Martyrol. die 20. Septembris, notatur Haaphtenus d. tract. 9. disquisit. 6. per tot. Pater Serlogus in Cantica tom. 3. vestig. 28. cap. 4. sect. 1. num. 6. Savarus in not. ad Sidon. lib. 5. epist. 13. Feloga in cap. 1. de his, quæ vi, ration. 2. num. 15. Nec obstat textus in d. cap. quæcunque: cuius interpretatio facilis est, si veram ipsius canonis causam, seu historiam repetamus. Increpant enim PP. Concilii Gangr. in eo canone, quasdam fœminas hereticas, quæ Stachii Sebastiani fraudibus captæ, prætextu pietatis maritos relinquebant, & exuto crinibus capite, & fœmineis vestibus, corpore habitum indubant virilem, de quibus agunt Landmeter. dicto cap. 13. Zerdà in advers. cap. 133. Exagitant ergo PP. in prædicto casu similes fœminas, metuentes ne comam deponerent simulatione pietatis; non quia ex vera religione in sanctimonialibus abscissio illa comæ improbetur, ut latè docent pro ipsius textus expositione Acunna ibi, Avendanno de metu lib. 2. cap. 43. Feloga in d. cap. 1. de his quæ vi, Savarus, & Baronius ubi proxime, Vivar. de veteri mon. tom. 2. fol. 55. Nec refragatur textus in d. l. nulli; nam Imperatores in eo textu non loquuntur de virginibus sacris, quæ intra septa monasterii debebant; sed de his, quæ sæculo renunciantes, manebant adhuc in eo; & tanquam devotæ monasteriis, tamen non incluse, comam deponebant: quod fieri de cætero Imperatores prohibuerunt, ex speciali causâ, quam referunt Sozomenus lib. 7. cap. 16. Socrates lib. 2. cap. 43. Niceph. Calixtus lib. 9. cap. 16. & ex eis Baronius anno 399. docuerunt Corjolanus in breviario, anno 235. Menardus in notis ad lib. Sacram. D. Gregorij, fol. 213. Bobius in Roma Subter. lib. 4. tom. 2. cap. 37. et aliter textum illum accipiat I. Gothofredus in eius comment.

D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. III. Pars II.

(d) *Etate.* De legitima etate ad ordines egi in cap. vel non est, de temp. ord. De etate verò ad professionem monasticam emittendam agemus infra, in cap. quia in insulis.

(c) *Vel cum licentia.* Licet ut servi sacris ordinibus initiarentur, non solum licentia domini, verum plena manumissio desideretur, ut probavi in cap. 1. de servis non ordin. ut tamen in monasterio admittantur sufficit domini licentia, l. servi 3. l. iubemus, autentico. verum. C. de Episcop. & cler. Novel. de Monachis. Illustrat P. Faber lib. 3. semestr. cap. 17. ad finem. Si autem dominus servum monasterio tradidit, ipse à monasterio discedere non potest, cap. 2. de condit. apposit. unde rectè Patres in præfenti disjunctivè statuerunt, quod nullus tondetur absque spontanea voluntate, si liber sit; si verò servus, cum domini licentia, quæ olim sufficiebat, ut monachus fieret.

COMMENTARIUM.

EX hoc Concilii Mogunt. canone sequens deducitur disputanda assertio: Nullus tondetur nisi spontaneâ voluntate. Probant eam textus in cap. puella 20. q. 2. cap. firma, cap. finali 20. q. 3. proba. cap. vidua 4. ibi: Sponte, hoc tit. Concilium Aut. rel. 3. can. 7. Episcopus, qui invitum, aut reclamantem præsumserit ordinari, annali poenitentie subditus Missus facere non presumat. Nicolaus Papa ad consult. Bulgar. 87. Monachi cum habitum induere, ac vitam remotam ducere non nisi à spondente divinitus exiguntur. Unde quisquis vim intulerit alieni, ut monachicum habitum, & vitam remotiorem, quam non optavit, nec elegit, assumat, id tanquam violans, peccatum evadere non valet, & quoniam quod agitur ex accipientis vero non venit, nec accipiens religiosum habitum inde mercedem habet, nec inferens crudelitatis suæ iudicio carebit. Et cap. 1. de his quæ vi. D. Gregorius lib. 1. epist. 19. & lib. 2. indult. 10. epist. 16. Symmachus Papa relatus in cap. ubi iura 74. dist. Leo, & Majoranus Imperatores in l. edita, C. Theodos. ne quis invitus cler. ordin. ibi: Quia quamvis sanctum onus, ut volentibus patimur imponi; ita ab invitis iubemus arceri, nonnullorum enim persuasio sacerdotum reluctantis onus istud imponit, ut improbitas mentis violentie intercedentis offensâ ad odium pie religionis instituat. Eo ergo licentiam huius præsumptionis includimus, ut si quisquam probatus fuerit vi coactus sub contumelia publica clericatus officii successisse spontaneis actoribus, vel si ipse voluerit allegare per se ipsam licentiam, commode minus apud iudices competentes huiusmodi admittenda damnare. Trident. sess. 25. de reform. cap. 18. Illustrant ultra congestos à Barbosa in præfenti, Hallierius de sacris elect. sect. 5. cap. 1. pag. 200. Suarez. tom. 2. de relig. lib. 6. c. 3. Vigel. in meth. jur. can. fol. 255. Avendanno de metu lib. 2. cap. 10. num. 25. Barbosa lib. 1. juris Eccles. cap. 43. num. 38. plures relati à Feloga in cap. 1. de his quæ vi, Olualdus lib. 15. Donelli, cap. 38. litera G. Antonius Augustinus in epit. juris, lib. 9. tit. 4. Peyrinis, Tamburinus, & alii relati à Hieronymo Garcia tom. 1. polit. regul. tract. 2. dub. 3.

Sed hæc assertio ita illustrata difficilis valde est, si referatur ad monachos, si ad clericos; Imponam in pluribus Ecclesiæ canonibus legimus, quatuor reos majorum scelerum in monasteria detruendi, ibique veros monachos fieri. Concilium Tolet. let. 3. can. 5. ubi de his ita statuitur: *Discipline disciplinis manent subiectum.* Ex canon. 6. ibi: *Hic*

qui ordinationem suam ignorat, omnino abiciendus est, & arctâ penitentia in monasterio mittendus, ut omnibus diebus vite sue in luctu, & fletu sub monastico habitu conversetur. *Maufcon. 3. can. 16. Trudi in cenobio, & ibi usque ad extremum vite permanere.* Idem probatur ex Urbano II. relato in cap. mandamus 19. q. 3. & transcripto ab Innocentio III. in cap. intelleximus, de atate & qualis. in illis verbis: *Ne quis canonibus Regularis professus, nisi (quod absit) publicè lapsus fuerit, monachus efficiatur: Ergo si lapsus fuerit, & in monasterium detradatur, verè monachus efficitur.* Idem colligitur ex cap. admonere, 33. q. 2. Et in monasteriis detrusos ob aliqua scelera, verè monachos remanere, nervosè defendit Hallierius lib. 3. de Hierarch. Eccles. artic. 4. §. 7. Igitur quia absque spontanea voluntate potest quis tonderi, monachusque fieri. Si ad clericos referatur presens canon difficilior est; siquidem nihil ipsum obvium in factis Ecclesie canonibus, & hitoris, quàm invitos ad sacros Ordines, immò ad dignitatum culmen, Episcopatum videlicet, promoveri. D. Augustinus epist. 204. ad Donatum, ait: *Multi ut Episcopum suscipiant, tenentur inviti, perducuntur, includuntur, custodiuntur, patiuntur, que nolunt.* Unde tot exempla legimus eorum, qui per vim, & reluctantes ordinati sunt, ex quibus aliqua referam. D. enim Marcus pollicem sibi truncavit, ut sacerdotium devitaret, teste D. Hieronymo in prolog. super Marcum. Ammonius monachus aures sibi præcidit, ne sacris initiaretur ordinibus, ut referunt Socrates lib. 4. cap. 1. 8. Petrus Blesensis epist. 23. & 35. alii plures è latebris, & silvarum speculis revocati fuerunt, ut coacti in Episcopos ordinarentur. De D. de Cypriano id refert Pontius in ejus vita, de Athanasio Sozomenus lib. 2. cap. 16. de Gregorio Nazianz. ipse refert orat. 1. apologet. 7. de Gregorio Magno Joannes Diaconus in ejus vita: de Chyloft. ipse lib. 1. de sacerdot. cap. 3. & ut alios omitam, quos refert Hallierius de sacris elect. dicta sect. 5. cap. 1. §. 4. referam tantùm ordinationes SS. Pauliniani fratris D. Hieronymi, & Paulini. Primam narrat Epiphanius epist. ad Joannem Hierosolym. extat inter epistolas D. Hieronymi ordine 60. his verbis: *Cum igitur celebraretur collecta in Ecclesia villa, que est juxta monasterium nostrum, ignorantem eum, & nullam penitentiam habentem suspicionem, per multos Diaconos apprehendi iussimus, & teneri os ejus, ne fortè liberari se cupiens, adjuraret nos per nomen Christi, & primum Diaconum ordinavimus, præponentes eum morem Dei, & compellentes, ut ministraret: valde quippe obnitebatur, indignum se esse contestans. Vix ergo compulsumus eum, & persuadere potuimus testimonio Scripturarum, & propositione mandatorum Dei: & cum ministraret in sanctis sacrificiis, rursus eum ingenti difficultate tento ore ejus ordinavimus presbyterum.* Ordinationem S. Paulini ipse refert epist. 6. ad Severum, in hæc verba: *Die Domini, quo nasci carne dignatus est, repentina vi à multitudine correptum, & presbyteratu iniciatum invitum, eâ tamen conditione in Barchinonensi Ecclesia consecrari adductum, ut ipsi Ecclesie non alligaretur, in sacerdotium tantum Domini, non etiam in locum Ecclesie dedicatum.* Igitur invitum, & omnino renuens potest quis tonderi, & in clericum ordinari: & in Concilio Carthag. relato à Gratiano in cap. si qui, cap. placuit. cap. consuluit, 74. dist. potestas datur Episcopis, ut clericos etiam renitentes ad

altiores gradus promoveant: igitur à peccata canonica alienum non est, ut clerici inviti ordinentur.

Quâ difficultate sic fulticitâ non obstante, vera est presens constitutio, cujus ratio, omnis que de vi, & metu adduxi in cap. 1. de his que vi, ex eo provenit: nam cum votum metu gravi factum nullum sit ipso jure, ut probavi in dist. cap. 1. & tam in susceptione sacri ordinis, quàm tonsuræ monastica votum castitatis emittatur, ut probavi in cap. 1. de cleric. conjug. ideò nemo invitum, & contra propriam voluntatem tonderi debet: quare PP. Concilii Trident. magnoperè curarunt, ut circa ingressum monasterii nullus metus, immò nec ulla persuasio adhibeatur, quæ metum incutere possit, excommunicatione inflictâ in eos, qui contra fecerint. *sess. 25. de regul. tract. 2. dub. 2.* facit etiam, nam gratum nequit esse Deo sacrificium illius, qui renuens illi dicatur, & contra voluntatem offertur: unde apud ipsos Gentiles victimæ offerenda ducebantur, non trahabantur. Cicero lib. 1. de divinor. *Cum censor populum iustret, qui bonis nominibus ducerent, eligebantur.* Suetonius cap. 59. *Nonnulli Patrum fam. testamento caverunt, ut ab heredibus suis prelato titulo victimæ in Capitolium ducerentur.* Plinius lib. 28. cap. 2. *Cur publicis lustris etiam nomina victimarum ducentium prospera legimus.* Agellius lib. 4. cap. 6. *Si primis hostiis litatum non erat, aliaq. post easdem ductæ hostiæ cadebantur.* Julius Obsequens lib. de prodigiis: *Taurus cum ad immolationem duceretur, ob hæc ipsa corruit.* Ovidius eleg. 12. lib. 3. *Amor.*

Ducuntur rivæe populo plaudente juvenca. Et Stat. Papin. lib. 4. Thebaid.

— armentaque sibi

Atra monet: quacunque gregum pulcherrima cervix

Ducitur.

Virgilius lib. 2. Georgic.

Et ductus cornu stabit sacer hircus ad aram.

Quorum verborum proprietatem non modo Servius notat, verum etiam Macrobius lib. 3. Saturn. cap. 5. cujus ipsa verba apponam: *Observandum est à sacrificantibus, ut si hostia, que ad aras duceretur, fuisset vehementius reluctata, ostendissetque se invitam altaribus admoventi, amoveretur; quia invito Deo offerri eam putabant: que vero steterit oblatam, hanc volenti Numini dari existimabant.* Plinius lib. 8. natur. cap. 45. *Hoc quoque notatum, vitulus ad aras humeris hominis allatus non ferè litare, sicut nec claudicantem, nec alienâ hostiâ Deos placari, nec trahente se ab aris.* Proinde Suetonius in Julio, cap. 59. ut Casarem ne religione quidem ulla à quocquam incepto unquam absteritum, vel retardatum ostenderet, exempli causâ subjecit eum, licet immolanti aufugisset hostia, profectionem adversus Scipionem, & Jubam non distulisset. Et enim triftis portenti loco habitum, si aut hostia ab ara profugisset, aut percussa mugitus reddidisset, aut in aliam partem corporis, quam oporteret, cecidisset. Festus in verbo *Piacularia* auferunt, tradit: quod ex subjunctis testimoniis perspicue apparet. Livius lib. 21. de Flaminio Coll. *Paucos post dies Magistratum inivit immolantique ei vitulus cum ictus è manibus sacrificantium*

sepe cum proripisset, multos circumstantes cruore verserit. Fuga procul etiam major, apud ignaros quid trepidaretur. Et concursatio fuit: id a plerisque in omen magni terroris acceptum. Plinius lib. 8. cap. 45. Nec claudicante, nec aliena hostia Deos placari, nec errabente se ab aris. Unde nihil faultum, felixque se hostia traheretur invita. aut profuga retraheretur; immo dirum omen, si mugitum dedisset, aut vocem flebilem emisisset. Silius Italicus lib. 5.

Nec rauco taurus cessavit flebile ad aras.

Immagere sono.

Ita etiam qui infantes Saturno immolabant, eos blanditiis demulcebant, ne quid triste resonaret, aut flebile. Minutius in Octavio: Blanditiis, et osculo comprimente vagitum, ne flebilis hostia immolaretur. Illustrant Ravilius Textor lib. 1. offic. cap. 2. P. Pinto in spicil. tract. 1. cap. 47. num. 5. Unde recte in presenti canone statuitur, ne quis invitis tondeatur in gradu monachico, vel sacri ordinis.

10. *Difficili-
tur diffi-
cultas.*
Nec obstat difficultas supra pro dubitandi ratione adducta, pro cuius prioris partis expositione sciendum est, olim in usu fuisse, ut clerici, aliave personae ecclesiasticae in graviori crimina lapsae, in monasteria, tanquam ergastula, poenitentiae peragendae causa detruderentur, modo ad tempus, aliquando vero in perpetuum: De detractione ad tempus agitur in Concilio Lugdun. 1. Sub Sigismundo Rege Burgundionum, can. 3. Quod si se Rex praeclentissimus ab Ecclesiis, vel sacerdotum communione ultro suspenderet, locum ei dantes, ad sanctae matris gremium veniendi sancti Antistites (quos forte poenitebat, quod Stephano incesti crimine polluto communicassent) in monasterio se absque ulla dilatione, prout cuique fuerit opportunum, recipiant, donec pacem integram ad obavitatis plenitudinem conservandam Sanctorum flexus precibus pro sua potentia, et pietate dignentur. Hilpalense 2. can. 3. Desertorem autem clericum cingulo honoris, atque ordinis sui exutum, aliquo tempore monasterio religari convenit, sique postea in monasterio ecclesiastici ordinis revocari; nam non poterit in talibus pervagationis abolere licentia, nisi fuerit in eis propter correctionem disciplina subiecta censura. Tolet. 7. cap. 3. Presbyteri autem, quibus majoris honoris locus apud eandem Ecclesiam fuerit, cuius sacerdos obierit, si homines in solitudine pro exequiis, aut jam mortui, aut continuo Antistites morituri, ad commovendum Episcopum tardi inveniuntur, aut per quemcumque molestiam animi id negligere comprobentur, totius anni spatium ad poenitentiam in monasterio deputentur. Sanctus Gregorius lib. 2. indist. 6. epist. 62. Joanni defensori; Hi vero, qui cum contra Dei timorem, et canonum statuta condemnaverunt, excommunicati in monasterium ad agenda poenitentiam sex mensibus mittendi sunt. Et paulo post: Episcopi vero, qui cum ordinare presumpserunt, vel perverse ipsius ordinationi praebere consensum, eidem communione privati, sex mensibus ad agenda poenitentiam in monasterio deputentur. Concilium Narbon. can. 5. Clericum suum seniolem increpantem, vel injuria afficientem ita punit, ut uno anno in monasterio sciat abicere superbiam unde inflatur. In perpetuum quoque in monasteria plures detrudi constat ex Concilio Agathensi can. 50. Epaun. can. 22. Aurel. 3. can. 7. Matiscon. 2. can. 16. Tolet. 4. can. 44. Tolet. 8. can. 3. et 7. Tolet. 11. can. 7. Gregorius Magnus lib. 1. epist. 42. & lib. 2. epist. 27. Concilium Cabilon. 2. can. 4. Aquisgran. can. 175. D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. III. Pars II.

Troslejan. can. 14. Lateran. generale sub Alexandro can. 11. cap. clerici, de excess. Pralat. cap. ut fame, de sent. excom. cap. gaudemus de convers. conjug. Carolus Magnus lib. 6. capit. 9. et 90. quarum auctoritatum verba refert Hallierius de Hierarch. Eccles. lib. 3. artic. 4. §. 6. per totum, Novella, 123. cap. 11. et 124. cap. 10. Concilium Hispan. 2. can. 3. cap. nullus 11. q. 1. cap. clerici 4. de excess. Pralat. cum aliis congestis a Gibalino de clausura regul. disquisit. 3. cap. 2. §. 2. Cellorius lib. 7. de Hierarch. cap. 6. Lindembrog. in glossar. verbo Monasterium poenitentiae. Bosquetus in not. ad Innocentium III. lib. 1. regestr. 3. epist. 130. Hurta. de resid. tom. 2. resol. 7. subresol. 3. Sed an hujusmodi poenitentes verè efficerentur monachi, dubium, & magnum est? Affirmat Hallierius dicto lib. 3. §. 6. Econtra verò ipsos verè monachos non fieri, defendunt Gabalinus dicto cap. 2. §. 2. Cellorius dicto lib. 7. §. 6. pag. 636. Petrus Faber lib. 3. semestr. cap. 21. Et rectè; nam in omnibus Conciliis proximè relatis nunquam affirmatur; ita detrusos verè monachos fieri ex tali detractione; sed tantum detrudi, & relegari, ut ibi poenitentiam peragant sub habitu & regula monachorum, ita ut manifestè doceant, ira detrusis non injungi statum monasticum, aut regularem, ut constat praecipuè ex dicto Concilio Tolet. 4. can. 8. & Tolet. 8. can. 6. ibi: Sub poenitentia operibus in monasterium relegari. Et can. 7. Monasterii claustris sub poenitentia retrudi. Cabilon. 2. can. 4. Agenda poenitentiae causa in monasterium mitti. Hec autem poenitentia consistebat in inclusione, seu detractione, ut in illis canonibus exprimitur; non enim poterant toto illo tempore ita detrusi exire à monasterio, quo tanquam carcere tenebantur. Secundo consistebat in censura, & rigore monasticae disciplinae, quam servare tenebantur etiam quoad exercitia graviora monastica, quamvis monachi non essent, & pro modo culpa duris subeundis poenis in monasterium detrudebantur: quare in Concil. 16. Altrifod. jubetur, ut Abbas, qui mulierem in monasterio suo ingredi pennisit, tribus mensibus in alio monasterio detradatur pane & aqua contentus. In Concilio Narbon. can. 6. statuitur, ut Abbas ita agat cum clerico, aut honorato de civitate, qui ad monasterium fuerit deputatus, sicut ab Episcopo manifesta correptione fuerit ordinatus; quia ob hanc causam dirigitur, ut emendetur, non ut passim diversis ferculis sauretur. Manet ergo clericos ita detrusos verè monachos non fieri; nam cum monachismus essentialiter petat tria vota, paupertatis, castitatis, & obedientiae, cum sui traditione spontanea, ut infra dicemus in cap. 4. & omnia illa deficiant in reis peragenda poenitentiae causa in monasterio tantum detrusis; ex tali detractione monastica professio induci non potest.

Nec obstat alia ipsius difficultatis pars; pro cuius solutione sciendum est, olim plerumque fideles ex reverentia & humilitate clericalem statum & ordinationem refugisse, eosque auctoritate Ecclesiae adactos fuisse, ut ordinationi consentirent. D. Cyprianus epist. 52. ad Anton. qui tales esse describit, qui olim ad sacerdotium legitime eligebantur; qualis ab ipso depingitur Sanctus Cornelius, qui nempe Episcopatum ipsum nec postularit, nec voluit, nec ut ceteri, quos arrogantia, et superbiae sua tumor inflat, invasit: sed quietus, et modestus, et quales esse consueverunt, qui

Hhh 3 ad

ad hunc locum divinitus eliguntur, pro pudore virginitatis conscientie sua, & pro humilitate ingenuitate sibi, & custodita verecundia, non ut quidam vim fecerit, ut Episcopus fieret; sed ipse vim passus est, ut Episcopatum coactus exciperet. D. Gregorius relatus in cap. sicut i. q. 6. Unde Imperatores Leo, & Anthemius in l. quamquam, C. de Episcop. & cleric. de clerico ordinario agebant: Tantum ab ambitu debet esse sepositus, ut queratur cogendus, rogatus recedat, invitatus refugiat, sola illi suffragetur necessitas excusandi. Existimabant enim, & rectè, primi illi fidei cultores, sacerdotium esse grave onus, quod vita, seu virtute angelica opus habet, juxta D. Chryostomum lib. 2. de sacerdot. cap. 7. sarcinam & periculofum ministerium, juxta D. Augustinum epist. 60. & 148. onus onerum, secundum Petrum Damianum epist. 20. onus gigantinis, vel ipsis quoque angelicis humeris formidabile, ut post D. Bernardum epist. 236. docuerunt Patres Concilii Trident. sess. 6. cap. 1. unde cautum fuit in Concilio Carthag. can. 31. relato à Gratiano in cap. sicut, 74. dist. ut clerici in minoribus gradibus constituti, ad majores ascendere cogentur; & ita cum illis temporibus valde necessarii essent presbyteri, ex monachis, aut clericis in minoribus gradibus constitutis eligebantur aptiores; & licet respuerent gradus sacros ex humilitate, & modestia, cogebantur tamen à propriis Episcopis eos recipere, de quibus accipi potest Innocentius III. lib. 1. epistol. fol. 89. ubi Trecenti Episcopo ita scribit: [Clericos verò Ecclesie tue, qui necessitas postulaverit ad sacros Ordines promoveri, secundum privilegium M. prædecessori tuo, & successoribus tuis à felicis recordationis Alexandro P. prædecessore nostro indultum, liceat tibi, si idonei fuerint, nec de canonica poterint institutione repelli, ad eosdem ordines suscipiendos, secundum canonum instituta compellere, vel si inobedientes fuerint, animadversionis ecclesiasticae sententiâ cogere: nisi contra hoc alicui fuerit Sedis Apostolicæ auctoritate indultum, ut ad suscipiendos ordines non cogatur.] Quarum ordinationum exempla supra retuli. Sed cum Ecclesia agnosceret, periculofum esse eum ad superiores gradus suscipiendos cogere, qui se fortè vel ineptum officio, vel ordine indignum, vel etiam impedimento aliquo irretitum agnosceret, ordinationem refugiebat, eam facultatem ordinandi invitos ob utilitatem, & necessitatem ab Episcopis abstulit, & Summo Pontifici reservavit. Ivo Carnot. epist. 178. Unde, ni fallor, lucem accipit præsens Concilii Mogunt. canon: in eo agitur de clericis invitè ordinatis in presbyterios ex monachis, ut præ se fert ejus summarium in ipso Concilio, id est de clericis absque voluntate ordinatis, ex iis, qui in ordine monachico, vel canonico erant. Cum enim eos Episcopi sacerdotali gradu aptos ex eorum conversatione cognoscerent, violenter ordinarunt: circa quos statuunt PP. ut si liberi sunt, id est ingenui, non ex servitute ad gradus ecclesiasticos vocari, ita permaneant; quia juxta usum, & praxim Ecclesie promoti sunt. Deinceps autem nullus ordinetur, nisi in legitima ætate, & spontanea voluntate; atque si servi sunt, cum plena domini voluntate, id est manumissi; & ordinati absque propria voluntate, ita permaneant; deinceps absque spontanea voluntate tonsurari prohibentur. Juxta quam interpretationem dedu-

citur in præsentem canonem, non de monachis, aut religiosis per vim in monachos tonsurandis agi, sed de clericis monachis, aut regularibus per vim ordinatis, ut facile ex ipsius textus litera cognoscitur. Non melatet, textum hunc de filiis à parentibus monasterio oblati accepisse Gibalinum de clausura disquisit. 3. cap. 2. §. 3. num. 16. Hallerium de sacris elect. 1. p. sect. ult. in fine, fol. 361. de quibus nos infraagemus in cap. 4.

Primo supra traditis oblat textus in can. 7. Con. 11. cili. Tolet. 8. in illis verbis: Septima assertionis accessu aditæ cæterum nostrum tam inverecunda progressio, quam ignobilis, ac detestanda præsumptio. Quodam enim, aut eventus necessarium, aut metu periculorum adeptos fuisse novimus ecclesiasticarum officia dignitatum; & quoniam cum illis hac imponerentur, id sibi fieri noluisse restantur, idcirco hac sternere, atque ad pristina pertentant conjugia, moresque redire; tam nequiter cælestia jura solventes, quam prompè secularibus extant illecebris inhiantes. Et statim: Quia si majores impune non deserunt, quod parvuli, vel nequendo, vel nolendo percipiunt, quanto magis non convenit violare, quod pro mortis, aut panarum evadenda pernicie, occultâ Dei dispensatione dignoscitur obvenisse. Recedant ergo talium desideriorum impudorati fautores; & licet invitè perceperint, quod non merebantur habere, libenter tamen cælestes retineant præmium, quod nolendo pro terrena consecuti sunt necessitatis eventum: ut tamen invitè appetant bona diligere, que sponte videntur desideria impugnare. Quod si quis post hoc perennis dispositionis edictum, non sinceriter sacris inhaerit cultibus; & abiciens à se gratiam, quam accepit, relabi ad conjugia, moresque seculi attentaverit, vel eum redire consulerit, mox omni ecclesiastici ordinis dignitate privatus, verè ut apostata sancta Ecclesia limumibus, & societate fidelium habeatur profus exclusus, monasterii clausuris, donec vixerit, sub penitentia retrudendus. Ex quibus verbis appetit deducitur, clericos per vim, & absque propria voluntate ordinari posse, & ita ordinatos in gradu suscepto ministrare debere. Pro cujus canonis expositione sciendum est, plerumque non solum ad vitam monasticam, sed etiam clericalem amplectendam nonnullos adigi metu sibi incusso, majus malum metuentes. Quod pluribus exemplis firmari valet. Et primo occurrunt Gallus, & Julianus Apostata fratres, qui Constantio adnente, quo ipsis spem Imperii adimeret, ipsi verò abnuentes, ut affectati Principatus suspensionem excluderent, in numerum clericorum adscripti fuerunt, ut refert Sozomenus lib. 5. hist. cap. 2. Item Theodosius & Aclii filius, Constantis Imperatoris frater, ipsum metuens in Diaconum se fecit consecrari, ut refert Theophanes, & Cedrenus in vita Constantis. Similiter Sanctus Clodoaldus filius Clodomiri Francorum Regis, ut imminentem sibi eadem effugeret, curavit se in clericum attonderi, & postea presbyter ordinatus, vite sanctitatis, & miraculorum gloria clarus floruit, ut refert Gregorius Turon. lib. 5. hist. Franc. Alia plura exempla refert Hallerius dicto cap. 1. §. 6. per totum. de his ergo agitur in dicto can. 7. & juxta à Patribus illi coguntur in gradu suscepto ministrare: tum quia illis in casibus metus non fuit ab extrinsecò illatus, sed à seipsis incussus, & per consequens talis metus non attenditur, juxta adducta in cap. 1. de his qua vi. Tum quia talis metus, licet consensum extorqueat, non tamen illud

Iud impedit, & ita non reddit ordinationem omnino involuntariam, sed secundum quid, ut docet Vazquez tom. 1. in 3. p. disput. 246. cap. 3. Gibalinus de clausura disput. 3. cap. 2. §. 2. num. 6. Eodem etiam modo intelligendus est textus in cap. constituit 2. c. 3. qui etiam reperitur in cap. constituit 16. q. 7. in cuius specie allectio, seu suasio non extorsit voluntatem tonsurati absolute, sed secundum quid; quare non reddit ipsam ordinationem involuntariam, atque ideo recte ita tonsuratus cogitur in gradu suscepto persistere, & ministrare.

13 Sacundo supra traditis opponi potest textus in Exponitur Concilio, Cesaraugust. 3. in illis verbis: [Licet plenissime in Concilio Toletano de Principum relictis institutum fuisset, ut nulli licitum esset suscipere Reginam in conjugio ducere, aut fordibus contractibus maculare, nec sequentibus Regibus, nec cuilibet hominum esset permittum; tamen nostri ordinis causa est, ut creberrime ad hæc aciem mentis nostræ condirigamus, quæ animæ intuemur exhibere profectum. Unde quia præteritis temporibus multas scimus, atque cognovimus Principum relictas, post eorum vocationem pro apice Regni, quem regendo in cunctis tenuerunt, nullam reverentiam honoris eis adhiberi à populis; sed passim (unicuique probatum est) diversas asfumentes occasiones, non solum latenter in eorum contrarietate insidias moluntur, verum etiam (quod veritati contrarium est) procaciter verbis contumeliosis in conventu multorum eas afficiunt: & quod omni religioni abominandum, atque horrendum est, deus detrahere non sinunt, quas in caterva populi cernunt commorari. Proinde paternâ pietate commoti, atque condignâ circa tanto culmine providentes, per huius decreti nostri paginam, non solum quæ in prædicto Concilio exarata sunt de conjugio Principum, perenniter custodiri, atque firma stabilitate decernimus permanere; sed etiam ea, quæ sunt conspicuè honestati necessaria modo advertere procuramus: ut servatas in omnibus sanctiones canonum totius Toletani Concilii, quæ de Principum relictis promulgatæ atque diffinitæ esse noscuntur, deinceps relictâ Principis superiorem sententiam inlibato animo pudicè servans, statim accersito ab hoc seculo Principe, vestem secularem deponat, & alacri curiositate religionis habitum assumat. Quam etiam & confestim in cœnobio virginum mancipandam esse censemus, & ut ab omni turbine mundi remota, nequaquam cuilibet attribuat, per quod aut contumelia tanta potestati in publico ingeratur, aut subditam plebi hæsisse pateat, quorum antè dudum agnoscitur Domina fuisse: sed infra claustra monasterii jugi sedulitate persistens, atque factimonialium vitam peragens, de regno temporali, opulatione divina ad regnum æternitatis mereatur pervenire. Quicunque igitur superiores constitutiones, quæ salubri consilio à nobis diffinitæ esse noscuntur, violaverit vel execrari quacunque factione pertentaverit, aut

permiserit, noverit se excommunicationis percepturum sententiam, atque etiam exilii damnationis diuturno tempore incurere jacturam.] Ex quibus verbis aperte constat, absque propria voluntate viduam Regis cogi monasterium ingredi, vitamque religiosam profiteri. Igitur quia absque propria voluntate potest quis tonderi. Pro cuius canonis expositione sciendum est, jam in Concilio Tolet. 13. can. 5. statutum fuisse in Hispania, ne quis auderet defuncto Rege viduam superstitis thorum appetere: sed cum adhuc ipsius viduis, immò & regno satis prospectum non esset, in dict. can. 5. additum fuit, ut vidua Regis in monasterio factimonialium habitum susciperet, & cum ipsis vitam religiosam perageret; non tamen exinde deducitur, viduam ipsam renuentem verè monialem fieri, sed tantum in monasterium detru-di, ut ita securior esset; ne quis possit ejus thorum regalem appetere: atque ita ex hac detractione professionem vidua non emittebat, sed tantum habitum mutabat, ut vitam religiosam observaret. Cuius constitutionis rationem dabimus in cap. final. de secund. nupt.

Tertio supra traditis obstat textus in can. 21. Concil. Arausic. 1. in illis verbis: Duo si presumpserint ordinare Episcopum in nostris provinciis, placuit de presumpcionibus, ut sicut contigerit duos Episcopos invitum Episcopum facere, auctoribus damnatis, unus eorum Ecclesie ipse, qui vim passus est, substituat. si tamen vita respondet; & alter in alterius dejecti locum nihilominus ordinetur. Si voluntarium duo fecerint, & ipse damnabitur, quo cautius ea que sunt antiquitus instituta, serventur. Cuius canonis fragmentum extat apud Gratianum in capite duos, 64. diffinit. Ex eo autem deducitur, Episcopum per vim ordinatum, in Ecclesia ordinatis ministrare debere; & per consequens in gradu suscepto per vim ordinatum persistere debere. Pro cuius canonis expositione dicendum est, in eo non agi de Episcopo per vim consecrato, sed de ordinato per vim à duobus, cum à tribus consecrari deberet, juxta sacros canones, quos congeffi in cap. si Episcopus, de temporibus ordin. Itaque in eo casu Episcopus ordinatus voluntariè adnuebat consecrationi, sed renuebat à duobus ordinari, contra sacros canones: quo casu statuunt PP. ipsum ministrare debere in Ecclesia unius ex ordinationibus, qui deponendus est in pœnam tanti excessus. Si autem ipse ordinatus sponte à duobus ordinari passus sit, & ipse damnabitur. Atque ita in eo canone Episcopus semper sponte electus, & ordinatus fuit: sed in primo casu renuens, & invitus à duobus Episcopis consecratus fuit; in secundo verò voluntariè; & ita in primo casu in gradu suscepto debet ministrare; in secundo verò in pœnam tanti sceleris deponitur. Ecclesieque propriâ privatur.

Etiâ contra præsentem assertionem expendi possunt textus in cap. 1. de his que vi. cap. 2. & 19. de vita & honest. cleric. cap. 2. de condit. appof. quorum interpretationem adduxi in eorum commentariis.

CAPUT II.

(a) Ex eodem.

SI quis ante (b) annos legitimos (c) tonsuratus est sine consensu parentum suorum, et si ipsi (d) parentes infra annum non reclamaverint ad (e) Principem, ad proprium (f) Episcopum, aut (g) ad missum Dominicum, in ipso clericatu permaneat: si vero post legitimos annos (h) per vim clericus factus est, & in infra annum ad supra memoratas personas minimè ipse reclamaverit, in clericatu permaneat, sicut is, de quo superius dictum est. Si verò præfatæ personæ infra annum reclamationem fecerint, si, qui eos clericos fecerunt, ipsis sine parentibus eorum hoc per legem exsolvant, quod contra eos contraxerunt. Ille verò, qui ante legitimos annos tonsuratus est, utrum in eadem tonsura permanere debeat, nec ne, in potestate sit parentum. Si verò is, qui tonsuratus est, alicujus fuit servus, domino per legem (i) emendetur quidquid ejus servo contra eum contractum est. Ille verò qui tonsuratus, utrum in eadem tonsura permaneat, in potestate sit (j) domini sui. Si verò hi, qui liberi sunt, ante legitimos, & post legitimos annos hoc modo (sicut superius taxatum est) tonsurati sunt, & ad gradus ecclesiasticos pervenerint, in eisdem gradibus perseverare cogantur. Si verò servus, qui superius taxato modo tonsuratus est, ad gradus ecclesiasticos pervenerit, domino suo per legem emendetur, & ei redditus, in suo gradu permaneat. Hoc & de (k) velandis puellis observandum est.

NOTÆ.

1. (a) *Ex eodem.*] Concilio videlicet Moguntino celebrato anno 813, cui interfuit Carolus Imperator, *can. 10.* ex quo citatur textus hic à Burchardo *lib. 9. Decreti, cap. 3.* Carnotensi *part. 7. Decreti, cap. 26.* Papiensi *in 1. collect. sub hoc tit. cap. 4.* ex quibus Decretis transcribo integram literam hujus canonis.

(b) *Annos legitimos.*] De ætate legitima ad ordines egi in *cap. vel non est, de temp. ord.* ad monachatum in *capite quia in insulis, infra hoc tit.*

2. (c) *Tonsuratus.*] Cum tonsurentur tam clerici, quam monachi, ut probavi commentatio antecedenti, promiscuè tonsura accipitur pro clericatu, & monachatu, ut in *cap. antecedenti*, & aliis ibi congestis. In præfenti agi de tonsura clericali facile depromitur ex illis verbis, quæ sequuntur: *Ipse in clericatu permaneat.* Antiqui autem compilatores accipiendo tonsuram pro monachatu, canonem hunc compilarunt *sub tit. de regularibus*, cum non semper tonsura statum monachicum significet, immò nec clericalem. Unde obiter exponenda est lex Salica, *ritul. 26. §. 2. & 3.* in illis verbis: *Si quis puerum crinitum sine voluntate parentum toronderit IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culp. jud. si vero puellam toronderit IID. den. qui faciunt sol. LXIIS. culpabilis judicetur.* Quæ verba aliqui ad clericatum retulerunt, juxta Gregorium Turon. *lib. 3. hist. cap. 19.* ibi: *Et sibi propria manu capillos incidens, clericus factus est.* Alii verò acceperunt ea verba de tonsione Christiana, quæ olim à Francis fiebat tempore baptismi, & susceptæ fidei, juxta Othonem Frising. *lib. 1. annal. veterem, cap. 16.* ibi: *Carolus Francorum Princeps filium suum ad Luitprandum misit, ut more fidelium Christianorum ejus capillum primum attonderet, & pater illi spiritalis existeret.* Docuerunt Lindembrog. in *Glossar. verbo Toronderit.* Saufay in *Panopl. cleric. p. 1. lib. 3. cap. final. pag. 138.* Et apud veteres adoptionem fieri per tonsionem capillorum,

probant Merillus *lib. 3. observ. cap. 40.* Sahabedra in *chron. Goth. cap. 27.* Pitheus *lib. 1. advers. cap. 1.* & nos in *cap. unic. de cognat. legal.* Celebris locus extat in præfatione ad 8. Synodum, ubi Anastasius de Rege Bulgarorum scribit, quod ut suum erga Romanum Pontificem servitium testaretur, coram omnibus capillos suos apprehendens, abscessos tradidit Legatis Romanis hæc verba præfatus: *Omnes Primates, & conventi populi terræ Bulgarorum cognoscant ab hodierno die me servum fore post Deum B. Petri, & ejus Vicarii.* Sed cum in eo titulo agatur de delictis, & inter ea enumeretur attonsis, non potest referri ad tonsiones, de quibus Lindembrogius: quare credo in lege Salica tonsionem tantum significare amputationem, seu dimissionem comæ: cum enim apud Gallos, & Gothos indecòra esset, ideo statuitur in eo §. ut si quis puerum invitis parentibus totonderit, puniatur.

(d) *Parentes.*] Licet jure civili quoad patriam potestatem pater tantum attendatur, quia mater nullam in filios habet potestatem, *l. nulla 3. de suis & legit. hered. l. peto 69. §. mater. ff. de leg. 2. cap. 2. de convers. infidel.* tamen cum jure canonico quoad filios naturalis ratio attendatur, *cap. cum haberet, de eo qui duxit in matrim. & hoc jure attento utriusque parenti reverentia debeatur; ideo in præfenti parentum appellatione, tam pater, quam mater comprehenduntur, ut docuerunt Sanchez *lib. 4. summa, cap. 18. num. 16.* Suarez *de relig. dist. 10. mo 5. lib. 5. cap. 2.* Tamburinus *de jure Abbat. tom. 1. disp. 6. quest. 2.* Leo Pinel. in *repetit. ad hunc textum, num. 189.**

(e) *Ad Principem.*] id est Pontificem, exponit Glossa hic, quam sequuntur Balboa in *cap. 8. de foro compet. num. 12.* Leo Pinel. in *præfenti, §. 3. num. 190.* quia Pontifex Princeps Sacerdotum dicitur, *cap. clericos, vers. Pontifex, ibi: Pontifex Princeps Sacerdotum; 2. 1. dist. junctis traditis ab Abrahamo Bzovio de præstantia & offic. Pontificis.* Quo modo etiam accipiuntur textum in *cap. cor-*

corpore, de consecr. dist. 1. ubi cavetur, ne liceat corpora defunctorum transferre de loco ad locum sine Principis licentia. Sed verius est, Principem, tam in presenti canone Concilii Mogunt. quam in dist. cap. corpora, quod deductum est ex can. 91. ipsius concilii, accipi pro Rege & Monarcha seculari; & in d. c. corpora, recte prohiberi secundum legitimas sanctiones, quibus cautum erat, ut corpora defunctorum nullo modo absque licentia Imperatoris transferre de loco in locum liceret, l. ne mo 14. C. de relig. & sumpt. l. ossa. ff. de rer. divis. Illustrat Catherus lib. 3. de iure men. cap. 22. & 23. & ita Principem juxta juris communis principium in eo textu accipi pro seculari monarcha, docuerunt Tamayo à Salazar tom. 3. Marisyr. Hist. die 11. Maij, Germonius de sacr. immunit. cap. 8. pluribus exemplis fuse illustrans Ferrandus in disq. reliq. lib. 1. cap. 7. fol. 217. In presenti etiam textu Princeps accipitur pro ipso Rege Galliarum, juxta morem illius temporis, illiusque Provinciae; apud Francos enim olim absque consensu Principis aliquem in clericum ordinari fas non erat. Concil. Aurel. 1. can. 6. De ordinationibus clericorum id observandum esse decrevimus, ut nullus secularium ad clericatus officium presumat accedere, nisi aut cum Regis jussione, aut cum iudicis voluntate. Eius rei ratio redditur à Carolo Magno lib. 1. Capitulum 120. ubi idem quoque statuitur his verbis: [De liberis hominibus, qui ad servitium Dei se tradere volunt, ut prius hoc non faciant, quam à nobis licentiam postulent: hoc ideo, quia audivimus, aliquos ex illis non tam causa devotionis hoc fecisse, quam pro exercitu, seu alia functione Regali fugienda: quosiam verò cupiditatis causa ab his, qui res illorum concupiscunt, circumventos audivimus; & hoc ideo fieri prohibemus.] Unde in formulis Marculfi, cap. 19. reperitur præceptum de clericatu, ut possit quis ad ordines ascendere, in hæc verba: [Si eis, qui se ad onus clericatus transferre deliberant, licentiam non negamus, retributorem Dominum exinde habere confidimus, quia scriptum est: Noli prohibere beneficere ei, qui potest; si vales, ei ipse benefac. Ille ad nostram veniens presentiam petiit Serenitati nostræ, ut ei licentiam tribuere deberemus, qualiter comam capitis sui ad onus clericatus deponere deberet, & ad basilicam illam, aut monasterium deservire deberet: quod nos propter nomen Domini hoc ei gratante animo præstitisse cognoscite: Præcipientes ergo jubemus, ut si memoratus ille de capite suo bene ingenuus esse videtur, & in publico census non est, licentiam habeat capitis sui comam tonsurare, & ad superscriptam Basilicam, vel monasterium deservire, vel pro nobis attentius exorare.] Et ita PP. in presenti, dum de ordinatione clerici agunt, & reclamacione per parentes ejus facienda, docent, posse parentes ordinationem filiorum impugnare coram proprio Episcopo, vel Principe; quia etiam Princeps facultatem habebat concedendi præceptum de clericatu, vel illud negandi; & ita Princeps secularis ritè in eo casu adiri poterat.

(f) *Proprium Episcopum.*] Quis dicatur proprius Episcopus quoad clericatum, seu ordines conferendos, exposui in capite 3. de temp. ordin.

(g) *Missum Dominicum.*] Id est Vicarium Epi-

scopi, ut exponunt Glossa, & repetentes in præfenti, Leo Pinellus hic, num. 197. sed perperam; missus enim dominicus in presenti accipitur pro legato à Principe missus; quia in Gallia Legati à Principe per singulas mittebantur provincias, ut si quid Comites negligentius egissent, per eorum admonitionem corrigeretur, & pleraque negotia Regis nomine perficerent, aut ad eum referrent, ut dicemus in cap. 1. de immunit. Eccles. Unde PP. in presenti statuendo ut parentes impuberis reclamare possent, & adire Principem, adjeceunt, vel missum dominicum, id est ejus legatum in illa provincia missum; nam sicut Principis præceptum ad clericatum suscipiendum desiderabatur, ita & iudicis licentia sufficiebat, ex dist. can. 6. Concil. Aurel. suprâ relato.

(h) *Per vim.*] Præcisam videlicet, de qua in cap. antecedente.

(i) *Emendetur.*] Juxta adducta in cap. 1. de servis non ordin. ubi adduxi distinctionem scientiæ, & ignorantia.

(j) *Domini sui.*] Quia absque ejus voluntate tonsurati in clericum, aut monachum servus non potest, ut probavi in cap. 1. de servis.

(k) *De velandis puellis.*] In quibus impuberibus non solum parentum voluntas desideratur, verum & si parentes non habeant, tutorum assensus accedere debet. Concil. Tribur. can. ubi: *Virgines, que ante XII. annos inficis mundiburdis suis sacrum velamen capiti suo imposuerint, & illi mundiburdi annum, & diem hoc tacendo confererint, in sancto proposito permaneant; & si in prædicto anno, & die pro illis se proclamaverint, petitioni eorum assensus præbeatur, nisi forte Dei timore tactis cum eorum licentia in religionis habitu perseverent.* Ubi mundiburdi sunt tutores: nam mundum, seu mundiburdium tutelam significat. Carolus Magn. in constit. pag. 270. *De mancipiis palatii nostri & Ecclesiarum nostrarum nobis mundum recipere.* In legibus Longobard. lib. 1. tit. 10. ley 1. legitur: *In sua potestate arbitrio; id est sine mundo vivere.* Et in l. 15. tit. 14. *Pro mundo puella tollant naturales filii tertiam partem.* Et in penitentiali Romano habetur: *Rapisti uxorem tuam, & sine voluntate mulieris, vel parentum, in quorum mundiburdio reuebatur.* &c. Illustrant Bignonius in notis ad Marculf. lib. 1. cap. 24. Joan. Vossius lib. 2. de vitis serm. cap. 12.

COMMENTARIUM.

7. **L**icet circa clericatum, aut monachatum liberos puberum levem, aut nullam parentes habeant potestatem, immò eos à clericatu, aut monachatu sine causa retrahentes graviter peccent, excommunicationeque ligentur, Concil. Tolet. 3. can. 10. apud Gratianum in cap. hoc sanctum 32. quest. 2. *Ubi si quis propositum castitatis vidua, vel virginis impederit, à sancta communione, & à liminibus Ecclesie habeatur extraneus.* Tribur. can. 24. in cap. puella 20. quest. 2. *Si in fortiori aetate adolescentula, vel adolescens servare Deo elegerit, non est potestas parentibus prohibendi.* Tridentini sess. 25. de regul. capite 18. l. non liceat & C. de Episc. & cleric. novel. 123. *In fin.* Tamen circa impuberum filiorum clericatum, & monachatum magna fuit olim parentum auctoritas. De eorum potestate circa offerendos filios religioni, aut clericatui, agemus infra in cap. cum virum.

In

In presenti canone tantum referuntur diversi casus, in quibus parentes possunt retrahere filios à religioso, aut clericali statu, vota eorum relaxando. Sed antequam eos suo ordine recensamus, sciendum est, vota monastici, vel ecclesiastici status à filiis impuberibus emissa, à parentibus irritari posse, *cap. puella 20. quest. 2. cap. mulier 32. quest. 2. Concil. Tolet. 10. can. 6. D. Thomas 2. 2. quest. 88. artic. 8. & 9.* quod & lege veteri cautum fuisse constat *ex cap. 3. Numer. ibi: Si quis virorum voto Domino voverit, aut se constrinxerit juramento, non faciat irritum verbum suum, sed omne quod promisit, implebit. Mulier, si quippiam voverit, & se constrinxerit juramento, quæ est in domo patris sui, & in ætate adhuc puellari, si cognoverit pater votum, quo pollicita est, & juramentum, quo obligavit animam suam, & tacuerit, voti rea erit; quicquid pollicita est, & juravit, opere complebit. Sin autem statim ut audiverit, contradixit pater, & vota ejus, & juramenta irrita erunt, nec obnoxia tenebuntur sponsioni, eo quod contradixerit pater.* Ubi rectè Abulensis *quest. 2. 14. & 17.* notat, quod licet sacer textus agat de filiis feminis, etiam de masculis est exaudiendus. Probat Petrus Herodius *in tract. de patrio jure. Hallierius de sacris elect. cap. 7. art. 2. §. 2. per tot.* Nec interest, an filii doli capaces sint, nec ne, ut probat ipse Hallierius. Nec in hac parte exæquatur votum sponsalibus, quæ revocari non possunt, si contrahentes doli capaces sint: quia præterquam quod in ipso canone, in quo impuberes ab sponsalibus arcentur, excipitur casus, nisi malitia suppleat ætatem, *cap. de illis, cap. final. de despons. impub.* sunt præterea graves, nec contemnendæ rationes, quæ sponsalium & votorum disparem esse rationem ostendunt; siquidem in sponsalibus contrahendis plures interesse solent, quibus contrahentium ingenia, animus, prudentia nota esse possunt, & qui de his testificari possunt. At verò vota privatim apud unumquemque concipi, & emitti solent, nemine teste, aut conscio; qui si ad obligationem voti tunc temporis subeundam ob rationis defectum ineptus est, multò magis ad ingenii sui vires & firmitatem examinandam eodem tempore ineptus erit, ut considerant, & docent post D. Thomam *2. 2. cap. 88. art. 8.* Glossa *in cap. ad nostram, hoc rit.* Panormitanus *in cap. postulasti, infra. Sylvester verbo Religio, quest. 11.* Hallierius *dist. §. 2. num. 11.* An verò parentum consensus omnino necessarius sit ad professionem monasticam emittendam, seu ordinationem suscipiendam, doctè pro utraque parte examinat Hallierius *dist. cap. 2. §. 3. cum sequentibus.* Qui optimis rationibus probat, liberos, quorum ope parentes

non egent ad alimoniam, rectè posse absque parentum consensu sacris ordinibus initiari, aut vitam monasticam profiteri.

Quibus animadvertis casus in presenti decisos recensamus. In primo ajunt Patres, quod si filius ante legitimos annos, id est impubes, sine consensu parentum suorum tonsuratus sit, & parentes intra annum non reclamaverint, filius in clericatu permaneat, quia præsumitur ipsorum consensus ex taciturnitate. Secundo casu agunt PP. de filio pubere, qui per vim tonsuratus fuit, nec infra annum reclamavit: & similiter acin primo casu statuunt, ut in clericatu permaneat, propter consensum tacitum præsumtum: si autem retento eodem themate prioris casus parentes filii impuberis infra annum reclamaverint, illis damno emendato ab eo, qui filium tonsuravit, in voluntate parentum sit, an filius impubes tonsuratus in clericatu permaneat, nec ne: nam cum tantum parentum voluntas defuisset in tali tonsuratione, illa accedente potest in clericatu persistere: at parentibus renuentibus filius revocatur à clero, & illis traditur. In tertio casu à filiis transeunt PP. ad servum, & docent, quod si servus ordinatus fuerit in scio domino in minoribus ordinibus, etiam damno domino emendato, in ejus potestate sit, an servus in gradu suscepto permaneat, vel non; quem casum latè exposui *in cap. 1. de servis non ordin.* Prosequuntur PP. de filiis agentes, & docent, ut si filii impuberes, vel puberes ita tonsurati sint parentibus, qui postea consenserint expressè aut tacitè per lapsum anni, & ita gradus ecclesiasticos, id est majores, quos sacros dicimus, susceperint in eisdem gradibus persistere cogantur. Idem de servo incio domino tonsurato docent Patres, videlicet emendato damno, id est soluta æstimatione servi, si ipse ad gradus ecclesiasticos, id est sacros pervenerit, in suo gradu permaneat; quia cum sit jam consecratus, debet persistere in gradu suscepto, soluta æstimatione domino, cui servus ita consecratus non est reddendus, ut in ejus servitio permaneat, contra sacros canones congestos *in dist. cap. 1. de servis non ordin.* Tandem concludunt PP. idem, quod de filiis masculis dictum est, procedere in puellis, ex jure supra citatis, & *capite puella 20. quest. 2. capite mulier 32. quest. 2.* quorum interpretationem prosequuntur Azor *tom. 1. instit. libro 11. cap. 17. quest. 8. P. Suarez tom. 2. de relig. lib. 6. cap. 6. numero 6. Sanchez libro 4. Summa, cap. 35. Narbona de ætate ad actus humanos, quest. 18. anno 14.* Et hæc est mihi fallor, vera explicatio præsentis canonis.

CAPUT III.

Ex Concilio (a) Toletano.

VT clerici, qui se fingunt habitu, & nomine monachos, & non sunt, corrigantur, ut veri monachi sint, vel veri clerici.

NOTÆ.

(a) **T**oletano.] Quarto videlicet, ex quo citant canonem hunc Burchardus *lib. 8. Decre-*

ti, cap. 7. Carnot. p. 7. Decreti, cap. 31. Papiensis in 1. collect. sub hoc rit. cap. 5. Sed Antonius August. *in notis ad ipsam collectionem, Barboza in præfati, Marquez in origine Eremit. cap. 11. §. 1. exiti.*

existimant, textum hunc deductum esse ex can. 52. seu 53. ipsius Concilii, ubi ita legitur: *Religiosi propriam religionis, qui nec inter clericos, nec inter monachos habentur; sive his qui per diversa loca vagi fuerint, ab Episcopis, in quorum conventu commanere possunt, licentia eorum coarceatur, in clero, aut in monasteriis deputati, prater illos, qui ab Episcopo suo, aut propter aetatem, aut propter languorem fuerint absolvi.* Sed verum est, transcripta esse verba hujus textus ex lib. 1. Capitul. Caroli, cap. 77. ubi ita cavetur: *Ut illi clerici, qui se fingunt habitus, & nomine monachos esse, & non sunt, omnimodis videantur corrigendi, atque emendandi, ut illi veri monachi sint, vel veri canonici.* Quare si sententiam hujus textus attendamus, tibi potest presens textus dicto Concilio Toletano 4. de quo egi in cap. 4. de re-Eccles. Si autem verba ejus inspiciamus, auctorem habet Carolum in dict. cap. 77.

COMMENTARUM.

PRO hujus textus vera interpretatione sciendum est, jam temporibus Concil. Tolet. 4. quod celebratum fuit anno 633. & Caroli Magni, in imo & pluribus retro annis, fuisse in Hispania, & Gallia non solum monachos, verum & canonicos regulares, cum distinctione habitus, ut de monachis probant latè Vivar. lib. 2. de veter. num. cap. 13. per tot. Marquez de orig. Eremit. cap. 11. per tot. de canonicis Pennotus lib. 2. hist. canonic. regul. per tot. Sed cum nonnulli clerici amore laxioris vite aut amplioris estimationis simulassent habitum monasticum, intendentes ex tali habitus mutatione pro monachis haberi, cum vere monachi non essent; ut hunc abusum, seu errorem PP. Ecclesiarum Hispania, & Galliae condemnerent, sanxerunt, ut nullo modo clerici possent fidei deferre habitum monasticum, sed tantum proprium habitum deferrentes, ut Canonici vitam peragerent. Concil. Cæsaragust. quod celebratum fuit anno 380. ibi: *Item legit: Si quis clericus propter luxum vanitatemque presumptam de officio sponte discesserit, ac velut observatorem legis monachum videri voluerit esse magis quam clericum, ita de Ecclesia repellendum, nisi rogando, atque obsecrando plurimum temporibus satisfecerit, non recipiatur.* Ab universis Episcopis dictum est: *Ita fiat.* Aurel. 4. can. 5. Providendum necesse est unicuique Episcopo, qualiter Canonici vivere debeant, nec non & monachi, ut secundum ordinem canonicum, vel regularem vivere studeant. Concil. Aquilgran. 1. sub Ludovico Imperat. can. 25. ibi: *Quia illorum habitum penitus usurpare non debent, a quorum proposito quodammodo distant; quia sicut & indecens est, ut arma militaria more laicorum gestent, ita nimirum inhonestum est, & valde indecorum, ut alterius propositi indumenta sibi imponant.* Habitum namque singulorum ordinum idcirco in Ecclesia ad invicem discreti sunt, ut his visis, cujus propositi sit gestans, vel in qua professione domino militet, li- quido cognoscatur; nam & Domini lege vir muliebrem, & mulier virilem prohibetur induere vestem, ut uterque sexus sibi convenienti veste incedat; sicut enim turpe est virum vestem muliebrem, & mulierem vestem virilem; ita vulde indecorum est, canonicum vestem monachicam induere; nisi tamen cum veste etiam propositum voluerit assumere. Et in cap. cum causam 27. de elect. jubetur, ut clerici non professi cujusdam monasterii, vel B. Augustini

regulam in eadem Ecclesia constitutam profiterentur, & observarent, aut ipsam Ecclesiam dimitterent, & merito; quid enim majorem confustionem posset inducere in Republica Christiana, quam aliquem sibi usurpare habitum religiosi, & formam religionis simulare, ipsumque religiosum non esse, sed hypocritam, aut supersticiosum. Quare recte in presenti canone statuitur, ut clerici, qui fidei deferunt habitum monasticum, vel veri fiant monachi, vel ut canonici in sua regula permanerent.

Sed huic interpretationi obstare videtur vetus Ecclesie disciplina, juxta quam tam Episcopi, quam presbyteri non poterant abjecto proprio gradu vitam monasticam profiteri, cap. si quis Episcopum, cap. suggestum 46. 7. quest. 1. cap. nemo 16. quest. 3. cap. 1. & 2. 19. quest. 3. ergo non vere, nec fidei clerici in presenti casu poterant habitum monasticum deferre; siquidem nec vitam monasticam profiteri valent. Pro cuius difficultatis solutione sciendum est, quod olim, dum adhuc monachi in laicorum statu erant, nec ad sacros ordines ascendere valebant, presbyteri etiam plebani non poterant vitam monasticam profiteri, & simul in gradu sacro permanere, ex ratione adducta in citatis iuribus; quam illustrat Lemaitre lib. 3. de monachis, cap. 9. sed postquam monachi sacris ordinibus coeperunt initiari, in graduque sacro ministrare, etiam presbyteris permillum fuit vitam monasticam profiteri, cap. unic. 19. quest. 1. cum aliis conglatis ab Antonio Augustino lib. 9. in epist. tit. 30. Unde D. Benedictus cap. 65. sue regula ita cavet: *Si quis de ordine sacerdotum in monasterio se suscipi rogaverit, non ei citius assentiat; tamen si omnino perseverit in hac petitione, sciat se omnem regulæ disciplinam servaturum, nec aliquid ei relaxabitur, ut sit, sicut scriptum est: Amice ad quid venisti? Colligimus hinc primo, sancti Benedicti xvo sacerdotes & clericos, quamvis monachis ipsis excellentiori essent in Ecclesia gradu, penitentia tamen, aut perfectionis vite desiderio, ad monasterium convolare solitos. Quod quidem licere manifestum est ex Concilio Toletano 4. can. 49. ibi: *Clericis, qui monachorum propositum appetunt (quia meliorem vitam sequi cupiunt) liberos ab Episcopis in monasterium largiri oportet ingressus, nec interdici propositum eorum, qui ad contemplationis desiderium transire nituntur.* Idem statuitur in Concilio Augustano can. 7. quæ Concilia cujusvis gradus clericos usque ad ipsos sacerdotes comprehendunt. In MS. exemplari monasterii S. Hadriani Gerardi in monte Lemma, cap. 60. sic exprimitur: *De Episcopis, qui in monasterio habitare voluerint.* Quod probat Rupertus Tuitientis in regul. S. Benedicti, lib. 1. cap. 7. Ne verò absonam credas epigraphen, audi Petrum Venerabilem lib. 2. epist. 11. ibi: *Solebant clerici diversorum ordinum, canonici diversarum professionum, & ipsa Ecclesia cacumina, Episcopi dico, Pontificalem dignitatem pro abjecta monachorum vilitate commutare, & de summis Ecclesiasticorum honorum gradibus ad humilem se hujus propositi ordinem inclinare.* Vide autem apud Arnoldum Vvionlig. vit. lib. 2. cap. 58. elenchum Episcoporum, qui abdicato Episcopatu ordinem monasticum ingressi sunt: alterumque similem à Renato Chopino monast. lib. 2. tit. 1. num. 2. Secundo consideranda proprietates verborum Sancti Benedicti: *Si quis de ordine Sacerdotum in monasterio se suscipi rogaverit.* Non autem*

autem de omnibus promiscuè loquebatur: *Noviter quis veniens ad conversionem*, ait in cap. 58. Consentur enim clerici à saeculo conversi, cum clericatum suscipiunt. Sic in Cabilonenſi Concilio prohibetur can. 5. Ne saeculares, qui nondum sunt ad clericatum conversi, res parochia-

rum debeant habere commissas. Et in Concilio Arelat. 2. can. 2. decernitur, ne Pontifices Presbyteri, vel Diaconatus honorem conferre praesumant laicis, nisi anno integro fuerit ab eis promissa conversio. Prosequitur doctè Haaphtenus lib. 4. *disquisit. monast. tract. 2. disquisit. 4.*

CAPUT IV.

Ex Concilio (a) Aurelian.

(b) Vidua si sponte (c) velamen, quamvis non sanctum, (d) sibi impesuerit, & in Ecclesia inter velatas (e) oblationem Deo obtulerit, velit, nolit sanctimoniam habitum ulterius habere debet, licet (f) sacramento confirmare velit, eo tenore, & ratione velamen sibi imposuisse, ut iterum possit deponere.

NOTÆ.

I. (a) *Aurelian.*] Ita legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 3. in hac sexta legitur, *Arelat.* sed in nullo ex Conciliis Arelatenſibus, seu Aurelianenſibus reperitur verba in præſenti transcripta, ut jam notavit Antonius August. ad 1. collect. hic; licet similem sententiam ex can. 3. Concil. *Arel.* 1. referant Burchardus lib. 8. *Decreti* cap. 35. Carnot. p. 7. cap. 54. & Gratian. in cap. 16. 27. quest. 1. Reperitur autem textus hic in Concil. *Mogunt.* cap. 6. in illis verbis: *Viduas autem velare Pontificum nullius attentet, prout constitutum est in Decretis Gelasii, cap. 13. quod nec auctoritas divina, nec canonum forma præstitit. Quæ si propria fuerit voluntate continentiam professæ, ut in ejusdem Gelasii capitulo legitur, ejus intentio proferat rationem Deo, quia sicut secundum Apostolum, si se continere non poterat, nullatenus nubere vetabatur, sic secum habitâ deliberatione promissam fidem pudicitia Deo decet custodire. Nos autem auctoritate Patrum suffulti in hoc sacro conventu sancimus, & liberè judicamus, si sponte velamen quamvis non consecratum, sibi imposuerit, & in Ecclesia inter velatas oblationem Deo obtulerit, velit nolit sanctimoniam habitum ulterius habere debet, licet sacramento confirmare velit, eo tenore, & ratione velamen sibi imposuisse, ut iterum possit deponere. Ex quo citant textum hunc Burchardus lib. 8. *Decreti*, cap. 36. Carnot. p. 7. *Decreti*, cap. 54. Gratianus in c. 8. 27. q. 1. & ea verba referuntur in cap. 25. Concil. *Tribur.* & præſens canon etiam reperitur in Concil. *Voormat.* can. 21. ibi: *Vidua quidem, quæ sacrum capiti velamen imposuerit, & inter ceteras velatas faminas in Ecclesia oraverit, & oblationem cum illis obtulerit, si professæ est in eodem habitu permanere, spondens nunquam religionis deponere velamen, à religionis observantia discedere non præsumat. Quod si præsumserit, & ad id, quod sponderat, revocari non potest, à liminibus sanctæ Ecclesiæ segregetur, donec ad emendationis remedia confugiat.**

(b) *Vidua.*] Proptèr illa dicitur vidua, quæ maritum habuit, & illum amisit, l. *malum* 242. §. *viduam*, ff. de *V. S.* cap. *vidua*, 34. dist. quasi vidua, id est sine duobus; cum particula *ve*, denotet privationem, ut docent Briffonius, Calvinus & alii Lexicographi; verbo *Vidua*, Gedeus, Fornerius & Gentilis in dist. *vidua*, Joannes Baptista in adnotation. poster. c. 54. Aliquando sumitur pro ea, quæ virum nunquam habuit, juxta illud Ovidii:

Ipsa domo vidua votis operosa pudicis

Torqueat in fatu ne vir ab hoste cadam.

Notavit Alciatus in d. §. *vidua*. Sed cum verba debeant accipi juxta materiam, de qua agitur, l. *La-beo*, ff. de *supellect. legat. l. ut Alpheus* 87. ff. de *V. S.* ideo in præſenti textu, & aliis, ubi de velandis viduis agitur, vidua accipitur pro qualibet muliere non virgine, etsi per vim pudicitia flos amiserit, ut patet ex cap. *illa autem*, 33. q. 5. cap. 1. 15. q. ult. quia licet omne peccatum ex voluntate nascatur, & potuerit corruptione carnis per vim opprellæ mens invita non pollui; tamen quia non facile Ecclesiæ, quæ de interioribus non judicat, constare potuit, exteriusque manifestè apparuit corruptam fuisse; ideo illa virginibus non comparatur. Itarum viduarum duo genera olim fuerunt: aliæ erant seculares, quæ laicali in veste vivebant; aliæ continentiales, & sub religioso habitu degentes, dictæ sanctimoniales. Concil. *Tolet.* 4. can. 55. relatum in c. *duo sunt* 27. q. 1. hæ sunt viduæ, quas D. Cyprianus lib. 1. ad *Quirinum*, vocat probas. Tertul. lib. 1. ad *uxorem* cap. 4. subignatas, voto firmatas, Deo dicatas, obligatasque ad viduitatis perseverantiam, castitatis propositum ex instituto, & professio lectatas. Quod vite institutum in viduis jam in lege veteri usitatum fuisse, probant Cedrenus, & Gregorius Nyssenus relati à Canisio lib. 1. de *B. Maris*, c. 12. Mendoza q. 2. *positiva*. Viduæ autem primis Ecclesiæ seculis continentie statum profitebantur, & in gradum vidualem cooptabantur, ut legitur apud D. Clementem lib. 8. *constit.* c. 25. ibi: *Vidua non ordinatur, sed cooptatur in gradum vidualem.* Pluribus Conciliorum canonibus illustrat Ambian. ad Tertul. de *velandis virginibus*, c. 9. *ol.* ult. Dicebantur tamen cooptari in gradum vidualem, quæ religiosam vitam profitebantur solemniter, ut distinguerentur ab illis, quæ propriis in dominibus degebant, quæ alebantur ex Ecclesiæ redditibus. Ambian. ubi *suprà* ubi 4. Nonnulla autem in viduis eligendis desiderabantur. Primò ætas provecta; juvenes enim non cooptabantur propter continentie suspicionem. Concil. *Turon.* canon 17. Clemens Romanus lib. 3. cap. 1. Tertul. lib. 1. ad *uxorem*, ibi: *Vidua habet aliquid operosus, quia facile est non appetere quod nescias, & aversari, quod desideraveris nunquam.* Unde viduas sexagenarias ordinandas esse jubet D. Basilius ad *Amphilochium* c. 42. ibi: *Vidua sexaginta annorum nata, si viri sui cum viro habitare voluerit, boni communionem non dignabitur, donec ab impuritatis perturbatione cessaverit: sed si ante sexaginta annos eam in numerum retulerimus, nostræ*

nostræ est, non mulieris culpa. Idem statuitur in Concil. Mogunt. can. 26. Illustrat Narbona de etate, anno 70. quest. 9. Nec statim à viri morte eligebantur, sed elapso tempore. D. Clemens lib. 8. constit. capite 25. Unde legibus Longobard. cautum fuit, ne intra annum luctus religiosam vestem viduæ assumerent. Præterea non eligebantur ab Ecclesia, nisi vitæ ac morum examine præmissis: quare D. Paulus ad Timoth. scribit, ut vidua eligatur non minor sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor, in operibus bonis testimonium habens, si filios educavit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsequuta est: faciunt D. Clemens libro 3. constit. capite 3. Concilium Carthag. 3. can. 103. His peractis tempore cooptationis viduæ velum conversionis, quamvis non sacrum, propriâ manu de altari sumebant, capite vidua, capite viduas 27. quest. 1. sicque velata in Diaconissas eligebantur, can. 19. Concil. Nican. Et primis Ecclesiæ sæculis tantum viduas in Diaconissas initiari, prodit Tertullianus de velandis virgin. & observat Albaspineus in notis ad dilectum canonem 19. Varia erant istarum viduarum munia. Primum, inter feminas, tam catechumenas, quam baptizatas conversari. Divus Clemens libro 2. constit. capite 7. Secundo januis templi patentibus tantum feminis præesse. Tertium, effundere oleum super catechumenas, ne à Diaconis viderentur. Denique presbyteris baptizantibus ministrare, ut probant Vazquez 3. part. in 3. part. disputat. 245. capite 3. Jul. Laurus. lucubr. titul. de elect. capite 24. Cæsar de eccles. hierarch. capite 9. §. 3. Barbosa de iure eccles. libro 1. capite 36. & tandem nuptiis fidelium assensum præstare. Unde intelligendus venit Tertullianus de monogamia capite 11. ubi cum referret, quomodo celebraretur matrimonium in Domino, ait: *Id matrimonium non licet habere ab Episcopo monogamo, a presbyteris, & Diaconis ejusdem sacramenti, a viduis, quarum scilicet in te recusat.* Ubi difficile visum est illud, petere matrum à vidua. Sed ex supra traditis de viduarum muniis exponendum est; olim enim cum quis volebat matrimonium contrahere, non prius uxorem ducebat, quam Ecclesiam, id est Episcopum, sacerdotem, & viduas consulisset, eisque condiciones futuri conjugii, statum, religionem, ac patriam exposuisset; nam fideles omne studium, ac diligentiam adhibebant, ne connubio Judæi, ac Gentilis polluerentur, ut pro ipsius loci interpretatione docuerunt Albaspineus libro 1. observ. capite 24. Ambianus de monogam. capite 11. observ. 1.

(c) *Velamen.* Velum conversationis, legitur in hac sexta compilatione, sed mendose; nam quamvis apud D. Gregorium conversatio sumatur pro vita religiosa, tamen ut plurimum ea vox non nisi addito verbo, *sancta*, videlicet, aut *sacra*, eam habet notionem: quare rectius in Conciliis supra relatis legitur *velum conversationis*: conversio autem, ut patet ex toto rit. de convers. conjug. absolute, & simpliciter tribuitur illis, qui soluto per viduitatem, aut ultro dissociato conjugio quoad debitum renunciant seculo. Illud tamen perdifficile est, quod in præsentis canone supponitur, videlicet viduam velari posse; cum pluribus Ecclesiæ canonibus cautum sit, viduas velandas D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. III. Pars II.

non esse, capite de votis, §. viris 20. quest. 1. capite viduas, capite omnes 27. quest. 1. Concil. Carthag. 4. can. 12. Arausic. cap. 27. Tribut. cap. 25. Epaun. cap. 21. Turon. 2. can. 21. Turon. 3. cap. 23. cum aliis relatis à Crespetio verbo *Monialis vidua*: probant latè Germonius lib. 2. de sacror. immunit. cap. 10. Espenceus lib. 1. de voto contin. cap. 9. Baronius in Martyrol. die 7. Maji, Barbosa libro 1. de iure Eccles. cap. 44. num. 15. Cæsar de Eccles. Hierarch. disputat. 6. §. 3. Gibalinus de clausur. regul. disputat. 2. cap. 2. §. 3. constit. 2. & disputat. 3. cap. 2. §. 8. Ambianus ad Tertul. de monog. capite 11. observ. 2. & de veland. capite 9. observ. Hallierius de sacris elect. 2. part. sect. 4. §. 6. Feloaga in capite 1. de his que vi, ratiocin. 5. num. 44. Pro cuius difficultatis solutione sciendum est, quod inter alia, quæ à nuptiis carnalibus ad spiritualia conjugia usus Ecclesiæ transtulit, quæ celebri laconismo pertrinxit P. Serlog. tom. 3. in Cantica, vestig. 28. sect. 1. num. 6. ritus ille acceptus est, ut quemadmodum novis nuptiis flamen imponebatur, quod faciem velarent, ut latè probant Pamelius & Zerda ad Tertul. de velandis virgin. Leo Pinel. in dicurs. de los velos, cap. 6. ita etiam feminis tempore professionis, seu consecrationis, in signum matrimonii celebrati cum Christo, quod explicat & illustrat Theophilus tom. 2. sect. 5. cap. 1. fol. 424. velum imponebatur, quod multiplex fuit pro personarum, & actuum varietate. Quinque refert Accia in capite placuit, 77. dist. & recenset Barbosa de iure Eccles. dist. cap. 44. num. 15. Franc. Maria Florentinus ad Martyrol. die 19. Novemb. exercit. 15. Primum erat probationis, quod dabatur novitiis ante professionem. Secundum velum professionis, quo femine castitatem solenniter profitentes ornabantur, de quibus Baronius anno 57. Landmeter lib. 1. de veteri mon. cap. 11. Tertium erat velum consecrationis, quod dabatur olim virginibus in etate vigintiquinque annorum, cap. placuit 20. quest. 1. Quod differt valde à velo professionis; siquidem illud commune erat, tam viduis, quam virginibus; hoc autem tantum virginibus dabatur. Suarez de relig. tom. 4. lib. 1. de verit. relig. cap. 11. num. 15. Quartum erat velum prælationis, quod Abbatissis sexagesimo etatis anno dabatur, cap. juvenclus 20. quest. 1. licet illud etiam virginibus dari possit, ut latè probant plura de his velis, eorum forma, & ritibus in impositione eorum observatis congruentes, Yepes tom. 3. chron. D. Benedic. anno 629. Tambur. de iure Abbatiss. disputat. 37. quest. 1. Theophilus Raynaud. in tract. de pil. cap. 7. per tot. Cellotius de hierarch. lib. 6. cap. 11. Gothofr. in l. 12. Cod. Theodos. de scenis, Davis ad Decret. in 26. quest. 1. Quibus suppositis præfens canon non est accipiendus de velo consecrationis, de quo in canonibus proximè adductis; sed de velo continentie, quod proprium erat viduarum, de quo accipiendi sunt textus in cap. ultim. 20. quest. 1. cap. viduas 8. cap. de viduis 42. 27. quest. 1. Concil. Epaun. sub Gelasio can. 21.

(b) *Sibi.* Nam similes viduæ sibi velum imponebant. Concil. Tribur. can. 24. Tolet. 10. can. 5. observat. Filesc. lib. 1. select. cap. 10.

[c] *Oblationem Deo.* Id est panem offerendum pro

pro consecratione Eucharistia. Inter alia enim munia viduarum sacrarum illud preceptum erat, ut panem mundum, & studiosè paratum offerrent ad consecrandam Eucharistiam, ut post Glossam in præfenti docet D. Joan. Otorora de irregul. ex poenit. excursu 5. num. 2.

(f) Sacramento.] Id est juramento, ut expostui in capite 1. de feriis. Hoc tamen juramentum fuisse suppletorium, supponit Barbosa in collect. & select. ad hunc textum: sed absque ratione, cum in præfenti tantum agatur de vidua, quæ assertionem suam, videlicet velum accepit eo animo ut deponere posset, juramento firmavit.

COMMENTARIUM.

6. **EX** præfenti canone sequens communiter deducitur assertio: *Novitia, quæ spontè se ingerit actibus professorum, exinde censetur professæ.* Probant eam textus in cap. omnes. cap. nec viduas 27. quæst. 1. cap. ad nostram 8. cap. ad Apostolicam 16. cap. consuluisti, cap. statutus, hoc tit. cap. 2. de testam. cap. is qui, cap. constitutionem, hoc tit. in 6. Clement. eos, eod. tit. Concil. Tolet. 4. can. 56. Forojul. sub Hadriano, anno 791. celebratum can. 11. Item placuit de feminis, cuiuscunque conditionis, puellis scilicet, vel viduis, quæ virginitatis, sive continentie propositum spontaneè pollicentes, Deo mancipatæ fuerint, & ob continentie signum nigrum vestem, quasi religiosam, sicut antiquus mos fuit in his regionibus induta fuerint, licet non sint à sacerdote sacrata; in hoc tamen proposito eas iugiter perseverare mandamus. Illustrant ultra congestos in præfenti Barbosa, & à Garinna in cap. 9. hoc tit. Lezana tom. 4. verbo Professio, num. 2. & 3. Bartholom. de Vecchis in præxi Novit. disput. 14. dub. 7. Novarius in lucern. Regul. verbo Professio, num. 24. Barbosa in summa constit. Apostolic. verbo Professio, §. 2. Tondutus resol. canonic. lib. 1. cap. 14. num. 1. Iranzo de preest. consider. 55. Garcia in polli. regul. tom. 1. tract. 3. difficult. 4. dub. 2. Vivar. de veteri monach. lib. 2. cap. 6. num. 30. Tamburinis de iure Abbatiss. disput. 7. quæst. 1. Chopinus libro 1. monast. tit. 3. num. 6. P. Gregorius lib. 3. part. tit. 2. cap. 5. Basseus in floribus, verbo Religio 4. num. 1. Girago de regim. regul. p. 1. dub. 12. numer. 75. Auraujo tract. 3. quæst. 26. mor. dub. 8.

7. **Sed** pro dubitandi ratione in præfentem assertionem ita insurgo: Professio religiosa est quidam contractus onerosus ultrò, citroque obligatorius, quo professus se obligat ad serviendum religioni, secundum ejus regulam; & e contra religio se obligat ad retinendum eum, alendum, & tractandum juxta suum institutum. D. Bernardus de præcept. & expens. cap. 7. Regularis professio, quæ se junior spontè submittit Priori, æque obligat & Priorem, suntque duo per unius sponsorshipem alterutri debitorum, unus fidelis cura, alter humilis obedientia. Unde professionem pactum appellavit B. Ephrem tom. 5. serm. de compunctione, his verbis: *Semel abrenunciasti sathanae, & angelis ejus: pactus autem es Christo coram multis testibus: at vide cui nam pactus sis, & ne parvipendas. Id per te noveris, quod angeli in hora illa voces tuas, & facta tua, abrenunciationemque tuam descripserint, & in caeli usque ad horribilem diem conservant.* Et tom. 1. serm. 1. O monache nosce, atque

confidera, quæ pacta, & queque vota cum Deo feceris. constituerisque. Basilus epist. 1. Ne transgrediaris pacta à te inita cum Deo, quæ professus es coram multis testibus. Hieronymus ad Demetriadem epist. 8. Nunc quia seculum reliquisti, & secundo post baptismum gradu inisti pactum cum adversario tuo, dicens ei, renuncio tibi diabolo, & seculo tuo; pompa tue, & operibus tuis, pactum custodi, ne tradas te tortori. Concil. Illiber. can. 13. relato in cap. virgines 27. quæst. 1. Sanctus Fructuosus in cap. 18. sue regule, jubet, probatum novitum indui religionis vestibus, & adnotari in pacto cum fratribus, ut vivat inter monachos probatus & ipse monachus. Admorari autem in pacto, est professionem monasticam facere, & postea subscribere, ut patet ex ipso pacto regule S. Fructuosi subjuncto, eui ex ordine subscribebant omnes, qui ad religionem admittentur; nam ad pacti calcem ita subjicitur: *Hec sunt nomina, qui manu sua uniuersique subscriptionem, vel signum in hoc pacto fecerit, id est, ille, vel illa.* Joannes quoque Damascenus capite 22. in vita Barlaam, & Josaph. monasticam professionem pactum vocat; inducit enim monachum ita loquentem: *Ne diaboli impetus inforti nostri constantiam inflectat, aliterque nobis, quam pactis cum Deo à nobis initis consentaneum, est aut lenire, aut facere persuadeat.* Probat Sanchez libro 6. summa, cap. 9. num. 7. Hinc sequitur, quod sicut alie receptæ obligationes nequeunt ex unius consensu consistere, sed duabus personis indigent habentibus potestatem seipsas, vel alias obligandi; l. in omnibus ff. de O. & A. l. scilicet, C. eodem tit. ita ad valorem professionis requiritur, ut non solum eam emittens se obliget, verum etiam ut religio per situm Prælatum præstet assensum. Lessius libro 2. de justitia, capite 41. dub. 7. num. 91. Girago de regim. regul. part. 1. cap. 4. num. 29. sed in tacita professione non adest persona ex parte religionis, quæ acceptare possit ipsam professionem: ergo ex ejus defectu professio nulla est. Augerur primò, nam professio in scriptis faciendæ est. D. Benedictus in sua regule, cap. 58. ibi: *Quam petitionem manu sua scribat, aut certe si non scit literas, alter ab eo rogatus scribat, & ille novitum signum faciat; & manu sua eam super altare ponat.* D. Isidorus in regul. monach. capite 4. ibi: *Omnis conversus non est recipiendus in monasterio, nisi prius ipse scripto se spondeat permanurum.* Concil. Tolet. 10. can. 5. ibi: *Omnis femina veniens ad sacram religionem, pallio capita sua contegat, conscriptam, roboratamque professionem faciant: postquam scripturam non sinantur relabi ad precavationis audaciam.* Et in can. 4. ibi: *Vidua, quæ sanctæ religionis propositum obtinere voluerit, sacerdoti, vel ministro, ad quem aut ipsa venerit, aut quem ad se venire contigerit, scriptis professionem faciat, à se aut signo, aut subscriptione notatam, continentum se religionis propositum velle, & hoc perenniter inviolatè servare.* Cujus scripturæ rationes quatuor assignant PP. Primam B. Isidorus capite 4. Regule, his verbis: *Sicut hi, qui ad secularem promoventur militiam, in legionem non transeunt, nisi ante in tabulis conferantur; ita & ii, qui in spiritibus castris celesti militie sunt signandi, nisi prius professionem verbis, aut scriptis profiteantur, in numerum, societatemque servorum CHRISTI transire non possunt.* Secundam petunt

petunt ex proximè adductis, videlicet quia cum professio sit contractus, ad ejus robur ad probationem scriptura desideratur, juxta textum in cap. legum 2. quest. 1. Tertiam rationem præbet ipse sanctus Benedictus, ut si aliquando suadente diabolo confenserit, ut egrediat de monasterio, professionis schedula in monasterio aservata, conyinci possit. Quam etiam agnovit PP. dicti Concilii Tolet. 10. relati in dict. cap. omnis 20. quest. 1. Quartam addit Smaragdus in sua reg. ut è monasterio ejectus, si postliminio reverti voluerit, ex chirographo professio facta comprobari possit: igitur nulla tacita professio admitti potest. Augetur secundo, nam si tacita professio valida esset, haberet omnes effectus expressæ professionis: sed non habet, siquidem tacite professus, in Prælatum regularem eligi non potest, cap. nullus 28. de elect. lib. 6. Clement. 1. §. ceterum, de statu monach. Garcia dict. dub. 2. Chopinus dict. tit. 3. igitur quia tacita professio non habetur pro vera professione. Fulcitur hæc dubitandi ratio ex eo; nam licet professio tacita à jure præsumatur ex actibus statim referendis; tamen cum novitius eos peragens non habet animum profitendi, atque id expressè protestatur, nulla tacita professio inducitur. Glossa verbo Per annum, in cap. ex parte, hoc tit. Irazzo de protestatione, consider. 55. sed in præsentī casu vidua juramento affirmavit per veli delationem animum profitendi non habuisse: igitur cogi non debebat in statu professurum persistere.

8. Quà dubitandi ratione ita fulcità non obstantē, vera est præfens assertio, pro cujus expositione sciendum est, professionem regularem dupliciter emitti posse, expressè videlicet, & tacitè. Expressè, cum Prælati, seu minister Ecclesiæ legitimâ potestate præditus assint, & verbis, vel externis nutibus vota profitentis acceptat, & vovens vota sua voce, vel scripto, aut nutu sufficienti nuncupat; cujus formam, & solennitatem ex veteribus PP. refert, & illustrat Haaphtenus lib. 4. disquisit. monast. tract. 5. per tot. Tacitè autem professio duplici modo emittitur. Primò per delationem habitus professorum: secundo per exercitium actus proprii professorum: per hæc enim conjunctim, seu separatim tacita professio inducitur, ut cum quis assumit habitum professorum, & inter eos versatur animo perpetuò servandi vitam religiosam, cap. ad nostram, hoc tit. cap. constitutionem, eod. tit. lib. 6. vel cum quis exercet actus proprios professorum. Quatuor tamen conditiones desiderantur, ut tacita professio inducatur. Prima, quod novitius deferens habitum, susceperit illum cum Prælati, seu superiore, & omnibus aliis simul. Menochius de præsumpt. lib. 6. præsumpt. 3. num. 9. Tiberius Decianus libro 3. consil. 18. num. 11. Gratianus discept. cap. 140. num. 37. Barbosa lib. 1. juris Ecclesiæ. cap. 42. num. 57. quare si quis per se sumeret habitum professorum, nunquam induceretur tacita professio. Gratianus ubi supra, Bartholom. de Vecchis in praxi novit. discept. 13. dub. 8. Secunda, ut habitus deferatur in ipso monasterio; si quis enim deferret habitum extra monasterium, etiam perlongum tempus, non induceretur tacita professio. Innocentius, Felinus, & alii, quos refert, & sequitur Menochius ubi supra, numero 15. Ter-
D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. III. Pars II.

tia, ut hi actus, per quos inducitur tacita professio, fiant non solum sponte, sed scienter: ita ut novitius non ignoret eos ad solos professos spectare. Giragus dict. p. 1. de regim. dub. 12. n. 57. Addunt ferè omnes Doctores supra laudati, utentem his actibus non debere etiam ignorare per illos tacitam professionem induci. Quarto oportet utentem his actibus habere animum emitendi professionem; nam si negativè se habeat, defectu animi, nunquam professus judicatur, Navarrus in comment. 4. ad hunc tit. num. 70. quem sequitur Barbosa ubi supra: nec Concil. Trident. sess. 25. de regul. cap. 15. & 16. aliquid innovavit circa hanc professionem tacitam; & ita tanquam canon ommissus remanet sub dispositione juris antiqui: in eo tantum illum correxerit, ut non inducatur tacita professio, nisi expleto novitiatu anno, & adimpletis sexdecim annis ætatis profitentis, Azor p. 1. instit. lib. 12. cap. 4. quest. 6. Gratianus tom. 4. discept. cap. 640. Tamburin. de jure Abbatiss. disput. 6. quest. 2.

His præactis apparet jam ratio præsentis textus; nam cum vidua non solum velum accepisset, quod erat proprium professarum, juxta supra tradita; verum se immiscuisset actibus professarum, ut erat panem offerre ad sacrificium Missæ, tacitè professæ præsumitur, cap. quod interrogasti 27. dist. D. Thomas in 4. dist. 38. quest. 1. artic. 2. voluntas enim non minus exprimitur verbis, quàm factis: unde sicut hæreditas adiri potest verbis expressis, ac solennibus; ita etiam factis, videlicet si ingerat se hæres actibus, qui ab alio quàm hærede fieri nequeunt, l. pro hærede 20. cum sequent. l. fuit 24. l. Julianus 42. l. Aristius 62. l. si quis 72. l. dno 78. l. Pannonius 86. §. ultim. l. 87. ff. de acquir. hæredit. Unde cum oblationes Deo facere tantum professe possint, novitia, quæ se ingerit simili actui, censetur ritè professæ, nec statum regularem amplius deserere valet.

Nec obstat dubitandi ratio supra adducta, cui licet aliqui satisfaciant asserendo, Deum præsentem esse, cui votum fit, ipsumque acceptare votum; verius tamen est, quod Deus non per seipsum immediatè, & palam ecclesiastica munia gerit, sed quod sicut in omni perficiendorum sacrorum rituum actu voluit fieri, ut in Ecclesia visibili ministri interessent visibiles; ita etiam in professione monastica ministrum visibilem, & mortalem interessè constituit, qui professionem monachi acceptans cogere possit eum, si aliquando resillire voluerit, ut promissis stet, & vota adimpleat. Quare dicendum est, quod cum semper in Ecclesia professio tacita in usu fuisset, ut supra relatis canonibus liquido constat, eisdem viribus, ac expressæ pollens; consequens est, ut in ea tacitè, & præsumptivè reperiantur omnia, quæ expressam & solennem reddunt: ergo sicut vota præsumpta dumtaxat in ea reperiuntur, & traditio ipso effectu demonstrata: ita & persona acceptantis non est expressè querenda in ea, sed sub eodem involucro, & certa præsumptione, ut docuit Vivar. lib. 2. de veteri mon. cap. 6. num. 32. Nec obstat primum augmentum ipsius difficultatis; nam licet novo jure cautum sit, ne tacitè professus in Prælatum eligi valeat, propter dubia, quæ exinde oriri possunt, dict. cap. nullus, cap. indemnitate, de elect. lib. 6. tamen jure antiquo etiam tacitè professus in Prælatum eligi valebat, cum quoad omnia commoda, & in-

commoda ut professio haberetur, *cap. 2.* ubi notavi, *de testam.* Nec obstat aliud augmentum ipsius dubitandi rationis; nam quod in eo expendebamus, procedit facta protestatione ante, vel in ipsa professione; tunc enim professio sequuta, sive expressa, sive tacita, nulla est. Iranzo *dict. confid. 55.* at in presenti casu vidua nullâ factâ protestationem velum sibi imposuit, & cum ceteris professis oblationem in Ecclesia fecit; unde licet postea sacramento firmare vellet, se eo animo velum assumpsisse, ut deponere posset, non auditur contra professionem tacite factam.

ii. Sed suprâ traditis obstat textus in *cap. ad nostram, hoc tit.* ubi ut ille, qui detulit habitum professorum censetur professus, desideratur perseverantia per triennium in delatione ipsius habitus: ergo quia per ipsam delationem habitus professio-

rum non inducitur tacita professio, nisi accedente temporis lapsu. Pro cuius textus solutione discrimen est constituendum inter eum casum, in quo novitius post tempus probationis ingerit se actibus professorum, aut eorum habitum detulit; & inter eum casum, in quo quis novitius non fuerat, sed in laicali habitu degens, suscepit habitum professorum. Primo casu non requiritur temporis lapsus, quia ex ipso actu induendi itum professorum inducitur tacita professio: secundo vero casu requiritur perseverantia per triennium. Unde cum in *dict. cap. ad nostram*, qui deferebat habitum professorum non esset prius in novitium receptus; ideo desideratur perseverantia per triennium, ut docuerunt Sanchez *lib. 5. summa, cap. 3. num. 24.* Vi. var. *de veteri monac. lib. 2. cap. 6. num. 30.*

CAPUT V.

Gregorius (a) *Anthemio Subdiacono.*

(b) **J**oannes frater, & Coepiscopus noster directo per Justum clericum suum capitulari, inter alia plura hoc nobis noscitur intimasse, aliquos monachos monasteriorum in Surrentina dicecesi positurorum, de monasterio in monasterium, prout eis libuerit, transmigra- re, & à proprii Abbatis regula desiderio rei secularis abscedere: sed & quod non licere notum est, peculiaritatem eorum singulos studere. (c) Si quos autem qualibet occasione à clericatu in monachicam conversionem venire contigerit, non liceat eis ad eandem, vel aliam Ecclesiam, quarum pridem milites fuerant, sua voluntate denuò remeare, nisi talis vitæ monachus fuerit, ut Episcopus, cui antea militaverat, sacerdotio dignum præviderit, ut ab eo debeat eligi, & in loco, quo judicaverit, ordinari. Propterea experientia tua presenti iussione mandamus, ut nec monacho ulterius de monasterio in monasterium liceat migrare, nec eorum aliquem (d) peculiare quicquam habere permittas. Sed si quilibet hoc præsumperit, in monasterio, in quo ab initio conversatus est, & sub Abbatis sui regula, de qua fugerat, cum competenti coercitione reddatur; ne si tantam iniquitatem fluxam, in emendatamque dimittimus, pereuntium animarum à Præpositorum anima requirantur. (e) Et quia aliquos monachorum usque ad tantum nefas profluisse cognovimus, ut uxores publicè sortiantur, eos omni habitâ vigilantia requiras, & dignâ coercitione in monasteriis Abbatum, quorum monachi fuerint, retransmittas. Sed & de clericis ad monachatum venientibus, sicut suprâ diximus, peragere non omittas. Ita enim Dei placabis oculos, & impletæ mercedis particeps invenieris.

NOTÆ.

i. (a) **A** *Anthemio.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc titul. capite 7.* & apud Ivonem *part. 7. Decreti, cap. 122.* reperiturque textus hic prout in presenti transcribitur, in registro D. Gregorii, *lib. 1. indict. 9. epist. 40.* & ejus partes referuntur à Gratiano *in capite si quem 32. 16. quest. 1.* & in capite *et quia 27. quest. 1.* de D. Gregorio nonnulla notavi in *cap. 2. de consuet. c. 1. de transact.*

(b) *Joannes.*] Episcopus videlicet Surrentinus, de cujus dicecesi egi in *cap. 1. 2. de relig. dom.*

(c) *Si quos autem.*] Verba, quæ sequuntur, extant in *cap. si quem 32. 16. quest. 1.* & ea exposui in *cap. 7. de arate et qualis.*

(d) *Peculiare.*] Hanc partem exponemus in *cap. cum inter, de statu monach.*

(e) *Et quia.*] Hæc verba referuntur in *d. cap.*

et quia 27. quest. 1. & explicavimus in *cap. 2. qui clerici vel vor.*

COMMENTARIUM.

Textum hunc communiter accipiunt repetentes, & Barbosa *lib. 1. juris eccles. cap. 42. num. 41.* Sanchez *lib. 6. summa, cap. 7.* de monacho se transferente ad aliam Religionem; quod ei inconsulto Prælato facere non licet, ut dicemus infra *in capite licet:* sed ni fallor, D. Gregorius in presenti non prohibet hujusmodi transitum, sed potius monasterium proprium deserere, & ad alium ipsius Ordinis migrare sub diverso Prælato; quod prioribus Ecclesie sæculis valde illicitum judicabatur, quia monachus sub eo Abbate, & in ipso monasterio, ubi stabilitatem promiserat, perpetuò manere debebat, nisi cum literis commendatitiis proprii Abbatis ad aliud monasterium ipsius

ipſius Ordinis mitteretur. Concil. Anglic. 1. reſerente. Beda libro 4. hiſt. Angl. cap. 5. ibi: *De monachi non migrent de loco ad locum, hoc eſt de monaſterio ad monaſterium, niſi per diſmiſſionem proprii Abbatis; ſed in ea permaneant obedientia, quam tempore ſue converſionis promiſerunt.* Concil. Bitoric. can. 23. apud Synodum Lemovic. action. 2. Canonici, & monachi de monaſterio ſuis, ubi prius titulati ſunt, niſi cauſa rationabilis neceſſitatis, vel adſcriptionis anime, vel Ordinem melius obſervandi, ad aliud monaſterium non tranſeant propter adſpiciendum aliquod miniſterium, vel honorem, vel occupationem terrenam, abſque conſenſu Episcopii ſui, vel Abbatis. Nicen. 2. can. 22. *Monachus, vel ſanctimonialis non relinquat ſuam habitationem, & diſcedat ad aliam: ſi autem id conſigerit, ipſum ut hoſpitem recipi eſt neceſſarium, non tamen ſine voluntate Prepoſiti ſui recipiatur.* Synod. 7. can. 21. *Non oportet monachum, vel monialem proprium relinquere monaſterium, & ad aliud ſe conferre. Sed cum recipi ſine licentia novi Abbatis non poſſit, hinc in regulis PP. cantum reperitur, ut monachum, niſi Abbatis ſui aut permiſſu, aut voluntate ad alterum monaſterium commigratorem nullus Abbas aut ſuſcipere, aut retinere preſumat, cap. 14. reg. D. Benedicte, quæ totidem verba ſunt in Concilio Agathenſi relato à Gratiano in cap. monachum 20. quaſt. 4. qui tranſitus adeo accuratè olim damnabatur, tum ob rixas, contentiones, & jurgia, quæ inde oriabantur, ut exprimitur in regula Serapionis Macharii cap. 13. *Nec vacandum eſt, qualiter inter monaſteria pacem firmam obtineant: non licebit de alio monaſterio ſine voluntate Patris fratres recipere. Quod ſi precatuſ fuerit ab eo qui præeſt, ut in alio monaſterio ingrediatur, commendetur ab eo qui præeſt, ubi eſſe deſiderat, & ſic ſuſcipiatur.* Clarius eandem cauſam explicat Ferreolus cap. 6. *Hinc enim, aut, plerumque non tantum inter Abbates, ſed etiam inter monaſteria lites inſanabiles oriuntur, dum unus nititur defendere quem recepit, alter revocare quem perdidit; & ad extremum niſi reddatur illi petitori petitus, & iſti reſtauratio recepi placaverit injuriam acceptam, ſit ut non ſecundum Apoſtolum vincant in bono malum, ſed utrinque mali vincantur uno malo.* Tum quia monachi ſta-*

bilitatem tempore profeſſionis emittebant, ita ut è monaſterio non exirent. Divus Benedicteus in cap. 58. ſue regula, ibi: *Suſcipiatur in congregatione, ſciens lege regula conſtitutum, quod ex illa die non liceat è monaſterio egredi, nec collum excutere te ſub iugo regula, quam ſub eam moroſa de liberatione licet recuſare, aut ſuſcipere.* Quibus verbis ſtabilitatis votum quali explicavit, nam mox ſubjungit: *Suſcipiendus autem in oratorio coram omnibus promiſat de ſtabilitate ſua, de qua ſcilicet immediatè jam egerat, niſi ob majus bonum ſpirituale de licentia Prelati tranſeret.* D. Bernardus epiſt. 7. ibi: *¶ Sed queris forſitan, inquit mihi: Quid ergo tu de ſtabilitate tua facis, quam apud Ciftercium firmavi, & nunc alibi habitas? Ad quod reſpondeo: Ego quidem Cifterciensis monachus ibidem profeſſus, ab Abbate meo, ubi nunc habito, miſſus ſum; ſed miſſus in pace, miſſus juxta conſuetudinem, & communem institutionem.* ¶ Probat, & illuſtrant Benedicte. Haaphtenus lib. 4. diſquiſit. monaſt. tractatu 6. diſquiſit. 4. per tot. Menard. in notis ad concord. regul. fol. 1008. Unde D. Gregorius in præſenti textu juxta diſciplinam monaſticam illius ſeculi prohibuit monachis ob lucrum temporale in aliud monaſterium, ejuſdem videlicet religionis, tranſire. Agere vero D. Gregorium de monacho tranſeunte propriâ auctoritate ad aliud monaſterium ipſius religionis, evincitur ex eo, quia tempore D. Gregorii tantum erant in diœceſi Surrentina monaſteria ordinis D. Benedicte, ut reſert Tamburinus in ſerie Abbat. verbo Surrentina: ſed Gregorius in præſenti increpat monachos commorantes in diœceſi Surrentina, & ſe tranſerentes ad aliud monaſterium: igitur de monacho tranſeunte ad monaſterium ejuſdem Ordinis accipiendus eſt. Accedit, nam ſi Sanctus Doctor ageret de monacho tranſeunte ad monaſterium alterius religionis, diſtingueret, an ad ſtrictiorem, vel laxiorem vitam cum Episcopii, vel Abbatis licentia tranſeret; ſed tantum affirmat Sanctus, cum monachum ut fugitivum retrahendum eſſe conſtituendum priori Abbati: igitur quia agitur de monacho tranſeunte ad aliud monaſterium ipſius Ordinis.

CAPUT VI.

Idem (a) Eidem.

Sicut regiminis locum Deo, ut ipſi placuit, diſponente ſuſcepimus; ita nos oportet de commiſſis nobis animabus eſſe ſolicitos. Comperimus autem in Inſula Orphiaria, in qua ſitum B. Petri Apoſtolorum Principis (b) Oratorium eſſe dignoſcitur, multos virorum cum mulieribus ſuis diverſorum patrimoniorum, illuc pro neceſſitate feritatis barbaricæ reſugiſſe: quod importunum judicavimus, ut dum alia reſugiorum loca vicina ſint, cur ibidem cum monachis debeant (c) mulieres habitare. Propterea præſenti juſſione præcipimus experientia tua, ut à præſenti tempore nullam illic ulterius mulierem, ſive eccleſiaſtici (d) juris ſit, ſive cujuſlibet alterius, habitare, commanereve permittas, ſed reſugium ſibi, cum (ſicut prædictum eſt) tot loca vicina ſint, ubi maluerint, ipſi provideant, ut omnis exinde mulierum converſatio ſubmoveatur, ne ſi, quæ in nobis eſt, curam gerere deſiſtamus, atque inimici laqueis obviare, nos exinde (quod abſit) ſi quid adverſi contigerit, culpabiles exiſtamus. Præſentium itaque latori Felici Abbati mille quingentaſ plumbi libras, de quo in eadem inſula agere dignoſcitur, dare non differas: quod tuis poſſit.

D. D. Gonſal. in Decretal. Tom. III. Pars II.

lii 3

modum,

modum, cum totius quantitatis summa noscetur rationibus imputetur. Ita ergo factum, ut ipse provideas, si in ejusdem insulae fabrica expendi utiliter valent. Quia autem dura est in insulis congregatio monachorum, etiam pueros in ejusdem monasteriis ante decem & octo annorum tempora suscipi prohibemus. Vel si qui nunc sunt, tua eos experientia auferat, & in Romanam urbem transmittat. Hoc & in (c) Palmaria, aliisque insulis te per omnia volumus custodire.

NOTÆ.

- (a) *Idem.* Anthemio videlicet Subdiacono, ut habetur in ipso Registro Gregorii, lib. 1. epist. 48. ex quo Codice restituo ita literam hujus textus.
- (b) *Oratorium.* Id est monasterium, ut ex verbis sequentibus constat; olim enim monasteria plerunque dicebantur oratoria; aut quia orationis gratia ibi monachi conveniebant. Gregorius de Gloria confessorum, ibi: *Quidam nomine Augustus de electosynis devotorum apud Brian vicum in honorem sancti Martini Antistitis oratorium edificavit, & collectis secum paucis monachis, sub regula monasterii degens, semper orationi vacabat.* Idem lib. 1. miraculorum sancti Martini, cap. 14. ibi: *In Castello regionis Italie, quo dicitur tertium oratorium B. Martini fundatum esse.* Et in cap. 16. hoc oratorium puellarum vocat, & Abbatissa loci meminit. Eodem in libro de monasterio quodam virginum sic refert: *In porta Ambianensi, in qua quondam vir beatus pauperem argentem oblamyde discissa contextit, oratorium a fidelibus est edificatum; in quo nunc puella religiosa deserviant ad honorem S. Episcopii.*
- (c) *Mulieres habitare.* Quod pluribus Ecclesie canonibus prohibitum est. Synod. Nicen. 2. can. 18. *Ne suspicio detur exteris, inquit Apostolus, mulieres degere in Episcopis, & in monasteriis, suspitionis plenum est. Si quis ancillam, vel liberam in eis locis habuerit ad aliquod ministerium, puniatur; si perseverat, deponatur; si vero in suburbanis mulieres sint, & velint Episcopus, vel Prepositus illic aliquid agere, dum illic sunt, non liceat mulieribus degere, sed secedant.* Epaunenfe can. 38. *Monasteria puellarum non nisi probate vite, & etatis provectæ ad quasunque earum necessitates, vel ministraciones laici permittantur intrare.* Turonense 2. can. 17. *Mulier intra septa monasterii nullatenus introire permittatur: si Abbas in hac parte, aut Prepositus negligens apparuerit, qui eam viderit, & non statim ejecerit, excommunicetur.* Concil. Trullan. cap. 47. *Nec in virorum monasteria mulier, nec in mulierum vir dormiat, ut extra omne scandalum sint fideles, &c. Si quis secus fecerit, clericus, sive laicus, excommunicetur.* Concil. Turon. cap. 29. *Presbyteris, Diaconibus, ceterisque clericis infra claustra monasteriorum puellarum non sit concessum habitare; nec intrent monasteria, &c.* Cabilon. sub Carolo can. 63. *Althiod. can. 26. Si quis Abbas mulierem in monasterio ingredi permiserit, aut festivitates aliquas ibi expectare preceperit, tribus mensibus in monasterio retrudatur, pane & aqua contentus.* Refert Antonius August. in epist. lib. 9. tit. 19. *Plura Theophilus integro tract. de vitanda mulier. famil.*
- (d) *Ecclesiastici juris sit.* Ut sanctimonialia, & femina Deo dicata: licet enim olim monasteria duplicia essent, virorum videlicet, & feminarum, ut probat Haephtenus *disquisit. monast. lib. 1. tract. 1. disquisit. 5.* tamen postea prohibita fuerunt hujusmodi monasteria, cap. *diffinimus*, cap. *pernicio-*
- sam* 18. q. 2. immo omnis familiaritas sanctimonialium cum monachis damnata fuit. Concil. Tarracon. cap. 1. ibi: *Religiosus, vel monachus, qui familiaris cum propinqua ejus curæ commissa conversatur in cella monasterii inclusus, penitentia lamentis incumbat, ubi singulari afflictione panis & aquæ vitæ. Etum ex Abbatissæ ordinatione recipiat.* Cabilon. sub Carolo, c. 55. *Abbatissa cum viris, clericis, sive laicis, horis incompetentibus non loquatur; sed quidquid masculis, clericis, sive laicis de rebus necessariis peragere debet, à prima hora usque ad vespertinam peragat: & hoc non cum singulis, sed coram pluribus.* Et cap. 56. *A vespera usque ad primam nec Abbatissa, nec alia sanctimonialium, cum quibuslibet masculis ulum colloquium habeant, nisi forte talis fuerit occasio, quam evitare non possunt; & si necessitas invaluverit, id coram testibus facere non debent.* Et can. 61. cap. *diffinimus* 18. *quest. 2.* Illustrant Anton. August. in epist. juris Pont. lib. 9. tit. 22. *Zypeus ad hunc tit. respons. 1.*
- (e) *Palmaria.* Insula hæc ultra Tyberina ostia est in mari Tyrreno. Varro lib. 3. de re rust. c. 1. *Plinius lib. 3. c. 6.* Ambrosius Calepinus verbo *Palmaria.* Ibi etiam sunt Pontia, & Pandatoria, & sunt insulae mixtæ solitudinis, & sterilitatis. In Pontiam missus fuit exul Sylvester Papa à Belisario, ut refert Anast. Biblioth. in ejus vita: quæ tres insulae erant in dominio D. Benedicti, ut probat Dardis in cap. 20. q. 1. D. enim Benedictus, & ejus discipuli non solum solitudines, eremosque incolabant, verum ut magis ab hominibus procul essent, inhabitatas insulas quarebant, ut ibi mari circumsepti, vitam in Christo ducerent absconditam, & ut acre minus salubri corpora magis castigarentur, & ut nimia corporis prosperitas, quasi vitis palmitè luxurians, amputaretur. Unde satis constat ex historis, plura & magnifica monasteria D. Benedicti in insulis edificata fuisse, qualia sunt in Anglia Lindisfarne, & Eliense: in Francia Lerinense, & alia quæ enumerant Baronius tom. 5. anno 398. *Yepes in chron. Divi Benedicti, centur. 1. c. 3. anno 552.* De Franco Vico 3. p. *hist. Sardinie, cap. 18. num. 52.* Et Abbo Flotiacensis in vita S. Edmundi Regis, & Martyris. apud Surium die 20. Novembris testatur Orientalem Britanniam partem; quæ Aëtengle vocatur, aquis penè undique allui à Subfolano, & Euro Oceano; ab Aquilone verò immensarum paludum uligine cingi: eæ verò paludes, inquit Sanctus, præbent pluribus monachorum gregibus optatos solitariae conversationis sinus, quibus inclusis non indigeant solitudine eremi: ex quibus sunt S. monachorum Patris Benedicti cœlibes cenobitæ in loco celebri hac tempestate. De Italia Leo Hostiensis lib. 3. cap. 5. refert in Adriatico mari apud insulam Diomedis quodam nomine vocatam, extitisse monasterium Tremitense: quod 30. circiter milliaribus à terra distaret, cujus formam cum Desiderius, qui postea Cassinensis Abbas fuit, & Pontifex Maximus Victor tertius inaudisset, impetratâ Abbatissæ licentiâ illuc perrexit; ibique

faris austeræ conversationis tradens, non parvum tempus exegit: subditque deinde, quomodo idem Desiderius monasterium Maillæ construxisset. Monasterii præsentis in Palmaria insula constructi meminerunt Yebes, & Vicus ubi proximè. Unde dum Gregorius hic agit de monasteriis in insulis constructis, non exaudiendus de insulis amplas provincias habentibus, ut Anglia, Sardinia, Sicilia, & similes; sed de Insulis, in quibus unicus tantum est locus solitarius, & mari circumdatis intra angustum tertiorium, ut monasteria constructa in insulis Capraria, & Gorgonia, quorum meminerunt D. Gregorius lib. 1. epist. 50. & lib. 4. epist. 19. & 60. Josephus Castald. in notis ad Rutilium lib. 1. folio 97. In illis autem propter pericula, solitudinem, & alias difficultates asperior vita erat, quare à Gregorio in præsentia ea dicitur durior congregatio monachorum, ut docuit P. Suarez tom. 3. de relig. lib. 6. cap. 3. num. 8.

COMMENTARIUM.

IN præsentia textu, & in cap. ad Apostolicam, cap. significatum 11. hoc tit. agitur de ætate monachorum, seu religiosorum, qua debet esse legitima, cap. 1. hoc tit. Unde exponendum est, quænam dicatur ætas legitima? Et in primis refellendus est error hæreticorum, præcipue Lutheri lib. de votis monasticis; qui negat, juniores posse admitti ad religionem, sed tantum oportere viros post 70. aut 80. annos vitam monasticam profiteri. Calvinus etiam lib. 5. instit. cap. 15. §. 19. refert olim nefas fuisse ante annos 60. feminas votum continentia emittere. Similiter confessio Augustana artic. 27. conqueritur, quod pueri permittantur religionem ingredi: & expendunt verba illa Pauli 1. ad Timotheum cap. 5. Adolescentiores viduas de vita. Poterat etiam adducere duos veteres Ecclesie canones: primus Synodi Rom. sub Sylvestro ubi in can. 10. Pontifex prohibet velare sanctimonialia ante 72. annos. Secundus Beati Gregorii relatus in cap. reverentias 20. q. 1. ubi Sanctus Doctor vetat sanctimonialia ante 60. annum consecrari. Sed verius est, nullam ætatem inceptam esse Deo se dedicandi, & ita non tantum adultos, verum & pueros ritè, & valde posse ad statum Regularem admitti, ut probant D. Basilii interrog. 15. D. Thomas 2. 2. q. 189. & opuscul. 17. cap. 3. Bellarminus tom. 1. controvers. lib. 3. de monachis, cap. 35. Lessius in opuscul. de statu vite eligendo. Haæphtenus disquisit. lib. 4. tract. 5. disquisit. 1. Sanchez lib. 4. summa, cap. 18. numero. 5. Cellotius de Hierarch. lib. 7. cap. 6. Suarez tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 1. Tamburinus tom. 1. de jure Abbat. dist. 6. q. 6. Peyrinis, Vecchis, & alii congesti à Hieronymo Garcia tom. 1. polit. regul. tract. 2. difficult. 2. dub. 5. repugnat enim hæreticorum doctrina sacrae Scripturae, sanctis Patribus, & rationi. Scripturae, quæ ait cap. 3. Thren. vers. 27. Bonum est viro cum portaverit iugum ab adolescentia sua. Et cap. 22. Proverb. Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea. Et Christus Dominus apud Matthæum, cap. 19. ait: Sinite parvulos, & nolite prohibere eos ad me venire. Quod exponens Origenes tom. 2. tract. 7. ait, quod discipuli Jesu prius quam discant rationem justitiæ, reprehendunt eos, qui pueros, & infantes offerunt Christo: Dominus autem exhortatur discipu-

los suos condescendere utilitatibus puerorum. Præterea is, cui Dominus apud Matthæum cap. 19. Lucam cap. 10. dixit: vis perfectus esse, vade, & vende omnia qua habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in celo, & veni sequere me; adolescens erat. Præterea opponuntur scætarum sanctis Patribus, videlicet D. Hieronymo, qui epist. 22. ad Eustochium, refert in cænobiiis fuisse suo tempore homines omnis ætatis, pueros videlicet, & lenes. Et D. Ambrosio, qui lib. 3. de virginibus, inquit: Non ergo ætas rejicitur florentior, sed animus examinatur, ac certè Theoclam non senescens, sed virtus probavit. Et hinc quid plura conexam, cum omnis ætas habilis Deo perfecta sit Christi? Nec mirere in adolescentulis professionem, cum legeris in parvulis passionem. An dubitamus, si cum usque ad continentiam sequatur adolescentia, quem usque ad mortem confitetur infantia? Cui consentit D. Augustinus de sancta virginitate cap. 39. Sed respice agmina virginum, puerorum, puellarumque sanctarum. In Ecclesia tua erudatum est hoc genus; illic tibi à maternis uberibus pullulavit; nomen tuum ad loquendum linguam solvit; nomen tuum velut lac infantia sua sicut infusum: non potest quisquam ex hoc numero dicere: Qui prius fuit blasphemus, & persecutor. Immo etiam quod non jussisti, sed tantummodo volentibus arripendum proposuisti, dicens: Qui potest capere, capiat, arripuerunt, voverunt, & propter regnum caelorum seipsos (non quia minatus es, sed quia hortatus es) castraverunt. Et optinè D. Basilii differens de ætate legitima monachorum, in regul. disp. interrog. 15. ait: Cum Dominus dicat: Sinite parvulos venire ad me; & Apostolus eum laudet, qui ab infantia sacras literas didicisset, idemque alio in loco precipiat, educandos esse filios in disciplina, & correctione Domini: profus qui ad nos accedant admittendos nullum non ætatis tempus idoneum esse judicamus; vel ipsius adeo tenera, atque inveniunt, ut videlicet qui orbati parentibus sint, eos nostra parte sponte ipsi assumamus, & exemplo Job, parentes pupilulorum sumus: qui autem sub parentibus sint, eos ab ipsis ad nos adductos multis adhibitis verbis recipiamus, ut non demus occasionem iis, qui volunt occasionem. Tandem Novatorum doctrina recte rationi adversatur, siquidem apud omnes compertum est, quod ut quisque in ullo rerum genere summus evadere possit, à teneris annis accipere debet, ut de Oratore aiebat Quintil. lib. 1. instit. cap. 3. & D. Thomas opuscul. 3. ita aiebat, qui futuri sunt clerici, mox à pueritia in clericatu erudientur: qui futuri sunt milites, oportet ut à pueritia in militariibus exercitiis nutriantur, sicut Vegetius dicit in lib. de re milit. qui futuri sunt fabri, illam artem à pueritia discunt: unde apparet, quam rationi consonum sit, ut etiam pueri, & adolescentes ad religionis statum admittantur. Nec rectè expendunt Novatores locum illum Apostoli: Adolescentiores viduas de vita. Siquidem Apostolus ibi non agit de voto continentia, sed de viduis, quas Ecclesia alebat ex propriis redditibus, quas tantum sexagenarias alere jubet. Nec eorum favet errori dicta Synodus Romana, cui duplici modo satisfaciunt Bellarminus dicto tom. 1. controvers. lib. 2. de monach. c. 35. Haæphtenus disquisit. monast. lib. 4. tract. 1. disquisit. 1. Primò asserendo locum esse corruptum, multoque minorem numerum reponendum esse pro 72. Secundo S. Sylvestrum in eo canone agere non de virginibus, sed de viduis; & ideo asserere, eas diutius esse probandas, ut ad vitam

vitam monasticam admittantur, ut probavi in cap. vidua 4. hoc tit. Nec tandem obstat textus in dict. c. juveniles; nam ibi D. Gregorius agit, non de puellis ad monasterium admittendis, sed de juvenibus in Abbatibus non eligendis, nisi post sexagesimum annum, ut docuerunt de arate Abbatissarum, tam ex novo, quam veteri jure agentes, Barbofalib. 1. juris Eccles. cap. 45. num. 17. Julius Laurus variat. lucubr. tit. 4. de elect. cap. 24. Narbona de arate, anno 40. q. 2.

6. Manet ergo, nullam in antiquis Ecclesie canonibus præscriptam esse ætatem ad ingressum in monasterium; immò pueros plerumque monasteriis offerri, ut infra in cap. cum virum, probavimus; aut ipsos vitam monasticam amplecti consuevisse: hoc tamen discrimine adhibito, ut ante pubertatem voluntas parentum tacita, seu expressa desideraretur, juxta adducta supra in cap. 2. post pubertatem verò ipsorum tantum voluntas expectabatur. Superest, ut de ætate legitima ad professionem, & quænam ætas illi præscripta sit, agamus; Et certè pro temporum, & locorum varietate diversa statuta sunt. In cap. 1. 20. q. 1. absolute docetur, quod tunc firma erit virginitatis professio, ex quo adultè docetur, quod tunc firma erit virginitatis professio, ex quo adulta jam ætas esse coeperit, & quæ solet apta nuptiis deputari, id est pubertas: unde Consultus in l. 2. ff. de pollicit. ait: *Voto autem PP. familiarum obligantur puberes sui juris.* Illustrat Narbona de arate anno 17. q. 17. D. Basilus episc. 2. ad amphilochem, cap. 7. docet, votum virginitatis emittendum esse supra annum decimum sextum, aut decimum septimum. Synodus Trullana can. 40. permittit, professionem fieri anno ætatis decimo: utramque ætatem amplectitur Justinianus in novel. 6. Leonis. Pius Papa, & Martyr in cap. virgines, eadem quest. ait, virgines non velentur ante 25. annos,

nisi fortè periclitante virginalis pudicitia necessitate. Idem firmatur in Concil. Carthag. 3. can. 4. relato in cap. placuit, eadem questione. Arelat. 2. can. 33. Turon. 2. can. 21. At in Tribur. Concilio can. 24. virgo post 12. annum ad religionem admittitur: qui canon refertur à Gratiano in cap. puelle 20. q. 2. Circa monachos etiam pubertatem ad professionem desiderari, constat ex omnibus canonibus, in quibus de filiis oblati à parentibus agitur, quos dabimus infra in cap. cum simus. D. Gregorius in presenti, plenam pubertatem, id est 18. annos exigit: cui consentiunt Patres Concilii Tolet. 2. can. 1. relato in cap. de his, 28. dist. Cælestinus autem III. in cap. cum simus 14. hoc tit. annos discretionis desiderat, id est pubertatem. Exponit Leo Pinel. in cap. 2. hoc tit. numero 130. Et in cap. 1. hoc tit. Clem. ult. hoc tit. ætas legitima desideratur, id est pubertas, quæ in masculis datur post 14. annos, in feminis verò post 12. Hodie tamen post Concilium Tridentini sess. 25. de regul. cap. 15. in quacumque religione, tam virorum, quam foeminarum, professio emitti non potest ante 16. annum expletum, ita ut professio antea facta nullius sit momenti: quod & docuerunt Leo Imperator Philofohus in novel. 6. ubi illum, qui sexdecim annos impleverit, tondere permittit: & D. Basilus in can. 18. ad Amphilochem. professiones ab eo tempore factas probas, quo ætas rationis complementum habuerit. Non enim, ait Sanctus, pueriles voces in his rari esse oportet, & citra judicium pactas temerarias. Et præcipites professiones tonsuræ monachice habitum ignominia afficere, docetur in Synodo Constantinop. can. 2. Prosequuntur Narbona, Leo Pinellus, alii supra citati. Bruno Challaing. de Privileg. regul. tract. 4. cap. 6. propositi. 3. Menardus ad concord. regul. fol. 990.

CAPUT VII.

Alex. III. (a) Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prelatis per Galliam constitutis.

NON est vobis dubium, aut incertum, quomodo fratres religiosi (b) Cisterciensis Ordinis ea religione permaneant, & virtute, quòd ex institutione PP. & prædecessorum nostrorum ii, qui in eorum (c) monasteriis professionem faciunt, sine Abbatis sui licentia prohibentur de claustris discedere, & discedentes in aliis monasteriis recipi. Inde est, quod eandem institutionem nos non solum amicam religioni, sed etiam rationi consonam sollicitè conservare volentes, universitati vestræ p. A. l. p. m. quat. monachos, vel (d) conversos conscripti Ordinis post factam monasterii professionem sine licentia Abbatum suorum per Episcopatus vestros recipi nullatenus permitatis, & si qui ex eis fuerint, qui sine licentia Abbatum suorum de monasterio, in quo professionem fecerint, exire præsumperint, & commonitia sua monasteria celeriter non redierint, eos tamdiu ap. rem. censurâ ecclesiasticâ percellatis, donec ad monasteria unde exierint, regredi compellantur.

NOTÆ.

1. (a) **A**rchiepiscopis.] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 2. ex qua litteram hujus textus transcribo.

(b) **Cisterciensis.**] Legendum est *Cisterciensis*, de quo præclaro Ordine, & privilegiis à Romana Sede illi concessis egi in cap. 6. de rescriptis.

(c) **In monasteriis recipi.**] Juxta tradita supra in cap. 5.

(d) **Vel conversos.**] Circa quos major dubitatio erat, quia professionem solemnem non emittent, & assumebantur cum voluntate Episcopi; ita ut in eorum potestate semper essent, ut refert Martique *annal. Cisterc.* anno 1134. cap. 6. quare Innocentius II. concessit privilegium Cisterciensibus, ne Episcopi possent retinere hujusmodi conversos, his verbis: *Però conversos vestros, qui monachi non sunt, post factam in vestris canibus*

canoniis professionem nullius Archiepiscoporū, vel Abbatum sine vestra grata licentia suscipere, aut susceptum retinere presumat. Refert Manrique

anno 1137. cap. 1. num. 5. de converforum gradu egimus in cap. in presentia, de probat. & commentarium hu jus textus dabimus infra, in cap. final.

CAPUT VIII.

Alex. III. Magistro Fidantia Canonico Civit.

Ad nostram noveris audientiam pervenisse, quod (b) Eremita de monte Foliano quosdam pueros intra biennium in tantum (c) seduxerunt, quod quidam illorum suasionibus eorum assensum præbentes, ad Ecclesias ipsorum accesserunt. Qui cum statim religionis habitum induissent, unus prædictorum pueroꝝ T. nomine statim poenitens, quod habitum susceperat, id quod fecerat, suis parentibus intimavit, qui ad locum ipsum morâ postpositâ accedentes, eum exinde traxerunt: & cum non stetit ibi, nisi per unam noctem, ut accepimus, præfati Eremitæ, & quidam alii eum non permittunt quandam puellam ducere in uxorem, quam ipse juravit in uxorem accipere, ac sicut dicitur, desponsavit. Quocirca d. t. p. A. s. p. m. quat. rei veritate inquisitâ diligenter, ac cognitâ, si tibi constiterit, quod præfatus T. ante consummationem xiv. anni habitum ipsum sine probatione susceperit, & susceptum habitum deposuit; aut si post xiv. annum habitum ipsum sine probatione susceperit, & infra triduum deposuit, cum ab impetitione prædictorum Eremitarum, vel aliorum in hac parte oc. & ex ap. cess. penitus absolutum; & eam quam juravit accipere in uxorem, liberè posse traducere in uxorem, si alia rationabilis causâ non impedit, denuncies.

NOTÆ.

1. (a) **A** Lex. III.] Ita legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 8. sed cum triplex Ecclesia Cathedralis hujus nominis reperitur, alia in Hispania, vulgò dicta Ciudad Rodrigo, de qua egi in cap. auditis, de prescript. alia in Sardinia, aliaque dicta civitas Castellæ in Italia, non potest certò affirmari, de qua ex eis in presenti agitur, & per consequens de quibus Eremitis præfens questio incidit.

2. (b) **Eremita.**] Eremita latinè dicitur homo degens in contemplatione, & perfectione, ut probat Ricciulus lib. 3. lucubr. iii. de Eremitis: & licet valde differat eremita à monacho, ita ut jura loquentia de monachis non comprehendant eremitas, cap. unic. in fine, de excess. Prelat. lib. 6. ubi Geminianus num. 5. tamen Religiosi etiam habitantes in cœnobiis constructis in locis desertis, quæ suo vivendi modo profitentur separationem ab hominum communione, appellari cœperunt Eremitæ, cap. cum monasterium 13. de elect. cap. penult. de verb. sign. lib. 6. tales fuerunt olim Religiosi Sanctorum Basilii, Augustini, & Benedicti, ut probant Ricciulus dicto lib. 3. cap. 1. Marquez in orig. Eremit. Haaphtenus disquisit. monast. lib. 2. tract. 7. disquis. 3. Unde eremitas in presenti accipio, non pro eremitis tantum, sed pro monachis in eremo degentibus, qui certam profitentur regulam, juxta quam vivebant.

3. (c) **Seduxerunt.**] Ingressus in monasterium liber, spontaneusque esse debet, cap. presens, cap. final. 20. q. 1. de coactione prorsus arcenda à regulari professione egi in cap. hoc tit. An verò dolus, qui dedit causam ingressui, & professioni reddat actum ullum, quæritur? Et aliqui affirmant, professionem efficacem esse, ex cap. veniens, cap. ex parte, cap. dudum, de convers. conjug. cap. cum dilectus, de his que vi: quia lesus dici non potest

qui se Deo conjunxit, cap. illud 20. q. 1. unde aiebat Apostolus ad Corinthios cap. 9. Factus sum Judæis tanquam Judæis, ut Judæos lucrarer. Et 2. ad Corinth. cap. 22. Ego vos non gravavi, sed cum essem astutus, dolo cepi vos. Sed contrarium, & merito, defendit Joannes Stephannus Durantius qq. juris q. 4. nam in jure vis, metus, & dolus æquiparantur, cap. 1. 15. q. 6. Igitur sicut professio metu facta nulla est, ita & quæ per dolum, & fraudem annullatur. Deinde quia dolus dans causam contractui bonæ fidei, illum ipso jure nullum reddit, l. 1. eleganter, ff. de dolo: sed professio contractus est bonæ fidei, cap. viduas 27. q. 1. Igitur dolus eam nullam reddit. Nec contrarium probatur in dicto cap. veniens; nam ibi mulier, quæ intendebat repetere maritum, non auditur quia adulterium commisit; aliàs si contrarium constaret, maritum repetere. Nec etiam obstat textus in dicto cap. ex parte; nam in ejus specie mulier, quæ velata fuerat, ex fallâ causâ credens sponsum leprâ percussum; nihilominus in religione permanere volebat & ita liberè consentiebat. Nec etiam favent contrariæ sententiæ textus in dicto cap. dudum, dicto cap. cum dilectus; nam in eis non agitur de dolo, qui professioni causam dederat; sed de vana illusionē, & inductione, quæ pro dolo non habetur.

COMMENTARIUM.

Textus hic explicandus est ex notatis in cap. 2. & 4. hoc tit. Jubet enim in eo Alexander III. quod si impubes habitum susceperit monachalem, id est professionem emisit ante xiv. annos, & habitum deposuerit, posse eum uxorem accipere; quia in ea ætate professionem emittere non valebat, juxta tradita supra in cap. quia in insulis; & parentes poterant ipsum repetere, ut probavi supra in cap. 2. Si autem pubes habitum

habitu ipsum induisset, & per triennium detulisset, non poterat amplius illum exuere, & ad seculum redire. Desideratur autem in presenti casu delatio habitus per triennium; quia cum nullâ probatione precedente illum induisset,

non poterat tacite professus videri, ut eveniret, si jam ingressus monasterium habitum illum professorum induisset, ut probavi in capite 4. hoc. tit. ubi num. final textum hunc exposui.

CAPUT IX.

Idem (a) *Helienfi* Episcopo.

Super eo, quod quæsitum est à nobis ex parte tua, utrum (b) sacerdotes, qui religionis habitum susceperint, & antequam essent vinculo professionis adstricti, ad priorem statum sunt (c) reversi, permittendi sint Ecclesias, & curam animarum habere: & alii (d) clerici, si monasticum habitum ante oblatum (e) professionis libellum deseruerint, ad sacros Ordines promoveri, & ad gubernationem Ecclesiarum possint assumi, f. t. taliter respondemus, quod si austeritatem religionis, ad quam migrasse noscuntur, servare noluerint, ad minorem religionem cogendi sunt pertransire, nec amplius in Ecclesiis secularibus debent assumi, ne contra votum suum, quod Domino fecerunt, in animarum suarum periculum comprobentur venire. Verum si ante susceptum habitum positi in probatione recedere voluerint, secundum regulam B. Benedicti non videntur prohiberi ad priorem statum redire: sed videtur regula vestra præcipere, ut in eadem veste redeant, in qua veniunt.

NOTÆ.

1. (a) *Helienfi.*] In prima collectione, sub hoc tit. cap. 9. legitur *Lierenfi*, & etiam in cap. 1. de convers. conjug. in eadem collect. ubi extat alia pars hujus textus, legitur *Ilaren.* post Concilium autem Lateran. p. 21. cap. 2. habetur, *Erfordienfi*: sed legendum est, *Helienfi*, ut in hac sexta collectione legitur, de qua diocesi egi in cap. pastoralis, de rescriptis.

(b) *Sacerdotes.*] Clericos posse vitam monasticam profiteri, probavi in cap. 3. hoc tit.

2. (c) *Sunt reversi.*] Ob hoc periculum reditus ad seculum, tum ut eorum probetur constantia, jubet D. Benedictus cap. 6. sue regule, ut non ita facile ingressus ad vitam monasticam concedatur clericis ac laicis: notat, & illustrat Haaphthenus lib. 4. disquisit. monast. tract. 2. disquisit. 4. ubi de ritibus observatis apud veteres in admissione clerici ad monachatum agit.

(d) *Clerici.*] In minoribus gradibus constituti.

3. (e) *Professionis libellum.*] Professionem in scriptis esse fallendum, supra probavi in cap. vidua, cuius formam ex Theodemaro Abbate refert Haaphthenus d. disquisit. 4. in hac verba: *In nomine Domini promitto me N. in sacro monasterio B. Martyris, sive Confessoris N. secundum instituta B. Benedicti coram Deo, & Angelis ejus, presente etiam Abbate nostro N. omnibus diebus meis in hoc sancto monasterio amodo, & deinceps perseveraturum, & in omni obedientia quodcumque mihi præceptum fuerit, obediturum. Ego enim hanc promissionem à me factam manu propria coram testibus scripsi, & roboravi.*

COMMENTARIUM.

4. **I**n hoc textu, & in cap. consulti, cap. postulasti, hoc tit. agitur de illis, qui monasticam vitam deserunt, & nondum elapso probationis tempore, ante professionem, vel post ad seculum redeunt: & queritur, an sinendi sint ad pristinum

statum redire, & in gradu antiquo, si clerici erant, ministrare, vel omnino cogendi in eadem, vel alia laxiori religione perseverare? Et licet hanc quæstionem ad hodiernam praxim, tam in foro interno, quam externo doctè exposuerint plures relati à Barbosa in presenti, Suarez tom. 2. de relig. lib. 1. de essentia voti, cap. 2. Sanchez lib. 4. summa, cap. 1. num. 20. Tamburinus de jure Abbat. tom. 3. disquisit. 9. quest. 8. Sanchez de matr. lib. 7. disquisit. 31 in fine. Portel. in dubiis regular. verbo Novitius, num. 29. Peyrinis, Lezana, & alii relati à Hieronymo Garcia tom. 1. polit. regul. tract. 2. disquisit. 5. dub. 7. tamen pro ipsorum jurium illustratione, quid tam antiqui, quam noviores canones circa hoc statuerint, exponendum est. Et primo scire oportet, eos, qui olim vitam monasticam profiteri cupiebant, probari primò ad portam monasterii per aliquot dies. Callianus lib. 4. infra, cap. 3. ibid: *Ambiens quis in carnobii disciplinam recipi, non ante prorsus admittitur, quam diebus decem, vel eo amplius, pro foribus excubans, indicium perseverantiae, ac desiderii sui, pariterque humilitatis, ac patientiae demonstraverit.* Et S. Fructuosus Episcopus in sua regula, cap. 4. ibid: *Qui religionis obtentu monasterium ingredi perunt, primum ante fores tribus diebus, & noctibus excubent, & ex industria jugiter ab hebdomadariis exprobrantur. S. Pachomius art. 26. sue regule, ibid: Si quis accesserit ad ostium monasterii, volens seculo renunciare, & fratrum congregari numero, non habeat intrandi potestatem, sed prius nuntiabitur patri monasterii, & manebit paucis diebus foris ante januam. Quam probationem servatam fuisse cum S. Simeone Stylita, refertur in ejus vita, tom. 1. vit. PP. Sequebatur tunc alia probatio in cella hospitium. Callianus instit. cap. 7. ibid: *Suscipiens non statim in congregatione fratrum commiseri permittatur, sed deputetur seniori, qui seorsum, aut longe à vestibulo monasterii commanens, habet curam peregrinorum, & audientiam deputatam, eisque omnem diligentiam suscepcionis, & humanitatis impendit.* Quæ secunda probatio juxta ipsum Callianum per*

per integrum annum durabat, dicto cap. 7. ibid: Cum ibidem integro anno deseruierit absque ulla querelâsum circa peregrinos exhibuerit famulatum, imbutus per hoc primâ institutione humilitatis, & patientia, admiscendus ex hoc congregationi fratrum, alii traditur seniori. Isidorus tres assignat menses in regula monach. his verbis: Qui renuncians seculo ad monasterium venerit, non statim in cœtum deligendus est monachorum, vitam enim uniuscuiusque in hospitalitatis seruitium tribus mensibus considerari oportet, quibus per actus ad cœtum sancte congregationis accedet. Nec enim intus suscipi quemquam convenit, nisi prius foris positus, eius humilitas, sive patientia comprobetur. Tertia probatio fit in cella novitiorum, ubi regula prælegenda ei est tertio, nimirum ut illâ ei bene cognitâ, prudenter deliberare, & etiam itaturare possit num illam servare, illique se obstringere velit: quare etiam indicatur illi libertas recedendi, si velit. Legatur, inquit S. Benedictus, cap. 28. et hac regula per ordinem, & dicatur ei: Ecce lex, sub qua militare vis, si potes servare, ingredere; si non potes, libere discedas. Eandem regulam prælectionem novitio faciendam statuerunt Macharius in sua regula, ibid: Si quis voluerit ad monasterium converteri, regula ei introeunti legatur, & omnes actus monasterii illi patefiant. Ferreolus cap. 5. regula, ibi: Post hoc monasterii regula Abbatis iussione novitio legatur, ne in posterum nihil novum, nihil inusitatum, aut si discessurus præterea, aut si permanseris agnoscat. Sanctus Aurelianus cap. 1. ait: Hoc iubente Deo in primis statui-mus tenendum, ut si quis ad conversionem venerit, regula ei in salutorio legatur; & si profectus fuerit, se omnia impleturum, tunc excipiat. Saluatorium intelligit sanctum locum excipiendis hospitium, & secularium colloquii deputatum. Frequentior ejus usus in monasteriis Monialium reperitur: sic accipiunt PP. Concilii Maricon 1. can. 2. cum ventant ne clerici, aut laici puellarum monasteria extra saluatorium, aut oratorium ingredi permittantur. Sanctus Casarius quoque præscribit in regul. sanctimon. cap. 18. ibi: Quæcumque ad conversionem venerit in salutorio, ei frequentius regula relegatur. Porro eadem voce sacrificium, sive sacramentum significari scriptores non pauci nos docent. Cassiodorus hist. tripartit. lib. 10. cap. 30. ibi: Irveniens (Theodosius) Antistitem in salutorio residentem. Eadem habet Paulus Diaconus lib. 13. Gregorius Magnus lib. 4. epist. 54. Maximiano Episcopo scribens. Procedens à salutorio ad sacra Missarum solennia celebranda, peractis verò Missis, id in salutorio rursus curabit deponere. Gregorius Turon. lib. 2. cap. 21. Ipsi sacerdoti in ipso, quod modo salutorium dicitur, manso erat; atque ad gratias Deo tempore nocturno reddendas, ad altarium Ecclesie consergebat. Vide eundem lib. 7. cap. 22. latè illustrant Savarus ad Sidonium lib. 5. epist. 17. Gibalinus de clausura regul. disput. 1. cap. 2. §. 15. qui locus probationis etiam pullatorum dicebatur can. 73. Synod. Aquisgran. ibid: Et ad monasteria vententes, primo in pullatorio probentur, & sic recipiantur. Observat Cironius lib. 4. obs. cap. 2. & notant Gibalinus d. disput. 2. §. 14. Lantdmeter. de veteri cleric. lib. 2. cap. 5. De tempore hujus probationis, quòd vulgo dicitur novitatus, infra ægum in cap. ad Apostolicam.

Secundo sciendum est, olim novitios probatos fuisse cum ipsis vestibus secularibus, nec eos, nisi expleto tyrocini tempore habitum induisse. D Be-

dictus in cap. 58. sua regula, ibi: Mox ergo in oratorio excutatur rebus propriis, quibus vestitus est, & induatur rebus monasterii. Smaragdus in sua regula, cap. 58. ibid: Dixerunt enim, nisi expleto anno, nullus mutare habitum permittatur. Cæsario Arelat. cap. 3. regula. Sed uni ex senioribus tradita, anno integro in eo, quo venit, habitu perseveret. Sanctus Fructuosus Episcopus cap. 18. sua regula, ibi: In monasterium sub regula introducatur, & annum integrum à cunctis fratribus ex industria conviciis comprobetur, & postquam probatus in cunctis obediens fuerit, excutatur secularibus vestibus, & induatur monasterii rebus simplicibus. Sanctus Ephrem tom. 2. par. 1. inquit, dignus es habitus sancto indumento monastico, ne exrollaris adversus expectantes in futurum annum. Concilium Aurel. 5. can. 19. novel. 5. Instin. cap. 2. in addit. 1. capitul. tit. 34. legitur: Expleto autem probationis sue anno, secundum quod regula præcipit, indefaciet; ipse vero nec tondetur, nec vestimenta pristina mutet prius quam obedientia promittat. Quæ verba reperiuntur in Concilio Aquisgran. can. 34. cap. legem, 53. dist. cap. super eo, hoc tit. D. Gregorio lib. 7. epist. 11. & in Synodo Romana, cujus acta reperiuntur lib. 4. ejusdem registr. cap. 44. ibi: Servos Ecclesie, & milites, qui ad Dei servitium converti voluerint, prius in laico proventu. Quem canonem ex eodem Gregorio retulerunt PP. Concilii Tribur. can. 29. & Bonifacius, ut ex ipso refert Gratianus in cap. final. 17. q. 2. Causam verò hujus moris eam crediderim, ut libertati novitiorum confulerentur, eoque minori cum nota monasterio egredi possent, quòd nunquam monasticum habitum detulissent; idque publicè ex eo constaret, quòd secularibus semper induti fuissent vestibus. Perleveravit autem, vel restitutus est hic mos in Ordine Cisterciensi tempore Sancti Bernardi. Ipse enim ad Robertum nepotem scribens, ita ait epist. 1. Multis, si meministi, lacrimis diu expectatam impetrasti misericordiam, & quem satis desideraveras, ingressum obtinisti. Post hæc per annum juxta regulam in omni patientia probatus, perseveranter, & sine querela conversatus, post annum sponte professus, tunc primum seculari veste relicta religionis habitum suscepisti. Posterioribus autem temporibus, cum videretur multis inconveniens, ut qui integro tyrocini anno cum monachis vestabantur, iidemque mancipabantur exercitiis, habitu ab iis distinguerentur, generaliter quasi recepta fuit ea, quæ hodie vigeat consuetudo mutandi vestem in ipsa novitatus inspectione; quòd posterioribus Ordinibus commune est. Et probabili ratione non caret; nam monastici habitus gestatio ad nonnullam quoque austeritatem Ordinis, quam experiri debeant novitii, pertinet: laneis enim ad carnem indui, in vestibus dormire, contemptibilem seculo deferre habitum, quis neget rigorem aliquem continere, quem meritò ante professionem novitius expeririatur? Et jam olim ita Benedictinos fecisse, constat: Paulus enim Diaconus ait in cap. 58. regul. S. Benedicti, apud Boerium: Si post duorum mensium curriculum, prælectâ sibi regulâ, novitius dicat, se stare velle, post istos duos menses debet radi. Nos autem (verba sunt Benedicti Cassinensis) de consuetudine moderna, uinam rationabilis, in ipso ingressu probationis & radimus, & conseramus, & habitum induimus; non tamen benedictum. Et licet ista consuetudo non reprobetur à jure, tamen consularius videtur opinionem dicti Pauli sequi. Subjungit porro Boerius: Et credo benefactum, si in intro proba-

probationis tradantur ei vestes, tonsura, & clausura regularis, ut probetur per annum in eis, & aliis duris, & asperis observationibus Ordinis. Illustrant Vivar. de veteri mon. lib. 2. cap. 6. num. 31. Gibalinus de clausura disquisit. 2. cap. 2. §. 3. num. 63. Menardus ad concord. regul. cap. 63. §. 1.

6.

Tertio sciendum est, tyrocinio expleto, novitium votis emissis induere habitum monasticum simul cum tonsura, à quo tempore, ut verè professus, non poterat deferere propositum, & religionem, nec ad seculum redire. Concilium Roman. sub Eugenio II. & Leone IV. cap. 28. ibi: *Qui semel se Deo voverunt, & habitum monasticum ostenderunt, vel comas totonderunt, regularem teneant vitam.* Et cap. propositum, ibi: *Propositum monachi proprio arbitrio, aut voluntate susceptum deferre non possunt absque peccato.* 20. q. 3. Concilium Tribur. can. 26. *Si monachus fugà regularis disciplina elapsus propositum sanctitatis calcaverit, omnimodis coercendus, & ab hominibus detestandus, atque omni onere est gravandus, ut saltem rubore verecundie confusus, & onere paupertatis afflictus, redeat, quem relicta singularis vite professione inimicus tenebat: si autem tam irreverens, & pertinax est, ut ad monasterium reddere, & propositum monachi relinquerit observare, impleantur super eum constituta, quae de eo scripta sunt in sancto canone in Concilio Calced. cap. 4. Pape Siricii IV. Leonis XXVI. quatenus retrusus ergastulo, decoqui possit penitentiae igne purgatorio. Bituric. can. 23. apud Synodum Lemovic. art. 2. *Qui voluntarii, & secundum regulam sancti Benedicti habitum monachi susceperunt, & postea voluntarii dereliquerunt, communione fidelium priventur usque ad dignam emendationem: & si Abbates, vel alii monachi volunt eos suscipere, maneat cum clericis in monasteriis, vel apud clericos in habitu monastico, & reverentia, atque abstinentia.* Refert Antonius Augustinus in epist. iur. lib. 9. tit. 31. illustrat Balsamon in can. 5. Synodi Constantinop. Suscepto ergo habitu, quia tunc emittebat monachus vota substantialia, manebat ille obligatus religioni, non tamen reciproce obligabatur ei religio, sed necesse illi erat alteram subire probationem, juxta Cassianum lib. 1. Instit. cap. 6. ibi: *Ut si quoddam ex eo murmuracionis vitium, vel parva cuiuslibet inobedientia culpam processisse deprehenderint, exuentes eum monasterium, quibus indutus fuerat, vestimentis, & antiquis revestitum, quae fuerant sequestrata, depellant.* In hac secunda probatione videtur fuisse Abbacyrus apud Climacum gradu 4. qui interrogatus ex qua causa contumelias pateretur à ministris, respondit: *Probant me PP. mei, utrum monachus esse cupiam; quam ego Patris, & aliorum intentionem intelligens, levissime, & sine ulla molestia omnia tolero. Et ecce decimum quintum jam annum ego istud cogitans ago, sicut & ipsi dixerunt mihi, quando in monasterium intravi, quod usque ad trigessimum annum renunciantes probare solerent.* Similem ferè formam observat hodie Societas Jesu, quae clericos suos post biennii probationem admittit ad votorum emissionem, quae veri religiosi fiunt, ac obligati Societati: Non est tamen haec obligatio reciproca; nam potest eos Societas dimittere absque injuria, etiam si alia causa non subsit, quam quod tractu temporis deprehendantur ejus instituto minus convenire. Quam praxin juxta constitutionem Sancti Ignatii p. 2. cap. 1. & in examini. cap. 1. firmarunt Ju-*

lius III. Paulus III. Gregorius XIII. & probant, ac defendunt Lessius de iustitia cap. 41. dub. 14. Petrus de Ribadeneira in tract. ration. instit. cap. 13. Pater Suarez tom. 4. de relig. tract. 10. lib. 3. cap. 3. num. 10. & cap. 9. num. 10. Lantdmeter. lib. 2. de veteri mon. p. 2. cap. 5. Sanchez in Decalog. tom. 2. lib. 6. cap. 9. num. 60. Castropalao tom. 3. diffus. 2. punct. 3. num. 2. Pellizarius in man. reg. tom. 1. tract. 3. cap. 5. sect. 1. num. 4. Peracta igitur predicta ultima probatione, professio solennis emittebatur in scriptis juxta formam supra relata.

Quibus ita animadversis exponendus venit praesens textus, in quo consultus fuit Alexander III. Primò de sacerdotibus qui expleto tyrocinii tempore habitum monasticum susceperunt, sed antequam professione reciproca essent obstricti, ad priorem statum reverti cupiebant, de quibus ait Alexand. III. quod si austeritatem Religionis, ad quam migrasse noscuntur, servare noluerint, ad minorem religionem cogendi sunt pertransire, nec amplius in Ecclesiis secularibus debent allumi, ne contra votum suum, quod Domino fecerunt, in animarum suarum periculum comprobentur venire. Quae verba accipienda sunt juxta supra tradita, de illis, qui expleto suae probationis tempore habitum religionis cum emissionem voti induerunt; qui licet adhuc professione reciproca obstricti non essent, tamen deferere regularem vitam nequibant, contra votum emissum in susceptione habitus; sed ex indulgentia illis permittit Alexander, ut in alia laxiori religione votum implere, & degere possint. Idem tacite respondit Pontifex de aliis clericis, qui monasticum habitum ante oblatum professionis libellum deseruerunt, id est qui peracto suae probationis tempore, habitum induerunt, sed nondum solennem professionem scripto fecerant, ut reciprocam professionem emitterent. Inter quem casum, & priorem illud tantum interest, quod in priori de sacerdotibus habitum deserentibus; in hoc secundo de clericis adhuc Ecclesias habentibus, sed in minoribus gradibus constitutis agit; ideo sub uno responso utrumque casum resoluti Pontifex, adjicit tamen: *Verum si ante susceptum habitum positi in probatione recedere voluerint, secundum regulam B. Benedicti non videntur prohiberi ad priorem statum redire.* In quibus verbis expressè agit Alexander de novitiis, qui adhuc in vestibus laicalibus probabantur; qui cum nullam professionem fecissent per susceptionem habitus, & voti emissionem, libere poterant ad seculum redire, quia nullo voti, aut professionis vinculo adhuc tenebantur. Et haec ni fallor, est vera hujus textus interpretatio.

Sed cum jam temporibus Innocentii III. in usu esse coepisset in Ordinibus Mendicantibus distinctio habitus novitiorum, & professorum, & solerent tempore ingressus in religionem novitii induere habitum proprium ipsius Religionis; ideo consultus Innocentius III. in cap. consulti, hoc tit. de novitiis, qui habitum novitiorum receperunt, sed quia adhuc professionem non emiserant, volebant ad seculum redire; sub distinctione ita responder: ut si cum novitiis, qui habitum susceperunt; proposuerunt absolute vitam mutare vovendo in communi statum religiosum, tunc etiam si professionem non emiserint, in ea, vel alia religione cogendos eos esse propositum, id est votum adimplere; si autem condi-

conditionaliter habitum susceperunt, ut si placuisset vita monastica, eam profiterentur; si verò displicuisset, ad seculum redirent, posse eos ad seculum redire, qui nullum votum in communi, aut particulari emisissent. Quod facilius procedere in eo, qui in minori aetate habitum novitii suscepit, respondet idem Innocentius in cap. postulasti, sequenti. Utautem in adultis omnis ambigendi collatio tollatur, an susceperint habitum novitiorum cum proposito, id est voto absoluto religionis; an verò conditionaliter, si placeat status monasticus, cavit Innocentius, ut novitius tempore susceptionis habitus proteletur, se cum absoluto proposito profitendi habitum in Religione non suscipere; quam protestationem insuper habuit, atque ea etiam non facta, posse novitium habitum jam susceptum deserere, & ad seculum redire, in similibus casibus decrevit Honorius III. in cap. i. hoc tit. in 5. compil. his verbis: [Literas, quas super negotio Joannis scholaris Bonon. quod vestro duxeramus examini committendum, vestra nobis devotio destinavit, benignè recepimus, & earum tenore pleno concepimus intellectus, dil. fil. Magistro Petro procuratore scholaris ipsius, eum infra probationis tempus ab ordine Prædicatorum

exiisse, firmiter asserente. Ideoque disc. v. mandamus, quatenus si vobis constiterit, memoratum I. nullâ factâ professione ab Ordine jam dicto infra tempus probationis exiisse, denuntietis ipsum ad observationem ejusdem, vel alterius Ordinis non teneri.] Et cap. penult. in eadem collect. [Dilectus filius I. Canonicus Sedun. in nostra proposuit præsentia constitutus, quod idem in monasterio de Senterio Cisterciensis Ordinis simpliciter, & sine quolibet protestatione intravit; sed idem non valens asperitatem Ordinis sustinere, exinde infra tempus probationi præfixum exivit: unde postulavit à nobis, ut cum ibi professionem non fecerit, super hoc ab ejus conscientia dignemur totius dubitationis scrupulum remove. Ideoque mandamus, quatenus si vobis constiterit de præmissis, ipsum I. denuntietis ad prædicti Ordinis, vel alterius observantiam occasione hujusmodi non teneri.] Quod hodie post Concilium Tridentinum observatur, ita ut quicumque novitius tempore probationis, id est durante anno novitatus, possit resilire, relictoque monachali habitu, ad seculum redire. Antamen ipsi, sicut validè, ita & licitè faciant deserendo statum susceptum, alii disputant.

CAPUT X.

Idem (a) Ambian. Episcopo.

Sanè de canonico, qui in Ecclesia (b) Aromanc. professionem fecerat, & ab ea fugerat, à quodam Abbate recepto in monachum, id tuæ f. significamus, quod si locus ubi nunc permanet, majoris est religionis, quàm Ecclesia Aromanc. ipsum in eodem loco cum pura conscientia remanere permittas, alioquin eum ad priorem Ecclesiam redire compellas.

NOTÆ.

(a) *Ambian.* In prima collectione, sub hoc tit. cap. 10. legitur *Abiarino*, sed male, quia in ea adjicitur *pars capituli*. Quoad *Sedem*: unde deducitur, in præfati referri partem textus in cap. quoad *Sedem* 2. de *frigidis*, cujus epigraphæ est, *Ambianensi Episcopo*, de qua diceceti egi in

cap. 17. de *rescript.* Alia pars hujus textus extat in cap. ad *hac*, de *decimis*.

(b) *Aromanc.* Aromanchensis Ecclesia est in Provincia Rhemenfi Canonicorum Regularium Ordinis D. Augustini, ut refert Pennotus lib. 2. *hist. canonic. Regul. cap. 33. num. 5.*

Commentarium hujus textus dabimus in cap. *licet*, infra hoc tit.

CAPUT XI.

Idem (a) Belvac. Episcopo.

Significatum est nobis, & pro certo monstratum, quod Guiboldus nondum incipiens esse xiv. (b) annorum, timore magistri, qui cum literas erudiebat, habitum Religionis apud Ecclesiam de Resone suscepit, & inde, sicut puer, infra annum exivit, & per seculi vanitates jam sex annis, & eo amplius vagabundus discurrit. Unde quoniam hujus rei veritas nobis non constat, f. t. per A. f. m. quat. rem ipsam diligenter inquiras; & si inveneris, quod non fuisset à parentibus oblatus, nec inceperit esse quatuordecim annorum, quando ad Religionem accessit, si in seculo voluerit remanere, cum ab illo voto professionis, quod fecit, auctoritate Pontificali absolvas, & absolutionem ejus, tam Ecclesie de Resone, quàm populo tuæ civitatis studeas publicare. Si autem à parentibus fortè fuerit oblatus, seu xiv. annum compleverit, cum Religionem intravit, sive post xiv. annum professionem à se factam ratam habuerit, eum ad eandem, vel ad aliam Religionem omni cum districtione compellas.

D. D. Gonzal. in *Decretal.* Tom. III. Pars II.

Kkk

NOTÆ.

(a) *Belvac.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 11.* ex qua re-

stituo integram hujus textus. De Belvac. Ecclesia agemus in capite 3. de foro competenti.

(b) *XIV. annorum.*] Juxta adducta supra in cap. 2. cap. quia in infulis.

CAPUT XII.

(a) Clemens.

Cum virum te prudentem in causis fore noverimus, & discretum, si in quibus dubitas, à nobis consilium sollicitum sine pastoralis requiris, & tibi de jure canonico, quod possumus, respondemus, & prudentiam tuam dignis in Domino laudibus commendamus. Curasti siquidem tuam nobis insinuatione proponere, utrum ea, quæ infra discretionis (b) annos à parentibus monasterio tradita est, & habitum religionis induens, benedictionem accepit, & exiens postmodum, cuidam se militi copulavit. ex quo etiam prolem suscepit, ad monasterium redire cogatur, cum illa asserat, postquam a tatem consentiendi habuit, dissensisse, & benedictionis munus in vitam suscepisse commemoret. Super eo consultationi tuæ duximus respondendum, quod cum juxta Concilii (c) Toletani censuram, monachum aut paterna devotio, aut propria professio faciat, quicquid horum fuerit allegatum, tenebit, revertendi ad seculum aditu penitus interdicto: non enim videtur illa monastica professio à se posse jugum excutere, cum eam non constet evidenter contradixisse, cum benedictionem accepit, quam utique non nisi in ætate discretionis recipiunt, quæ velantur, præsertim si rati habitatione sequenti, etsi eam quandoque contradixisse constiterit, quod antè gestum est, roboratur. Nec obloquitur quod de sancti viri prædecessoris nostri (d) Leonis Papæ constitutione per contrarium sensum assumitur, ut puellæ, quæ coactæ parentum imperio virginitatis habitum suscepissent, ipsam possint sine prævaricatione deserere, cum de ea possit intelligi, quæ in ætate nubili nescitur constituta: tunc enim quia liberum arbitrium habet in electione propositi, parentum sequi non cogitur voluntatem.

NOTÆ.

(a) *Clemens.*] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap. 3.* nullibi tamen exprimitur Prælatus, cui referibat Pontifex, quod & in aliis decisionibus ipsius Pontificis frequentius notavi.

(b) *Discretionis annos.*] Id est xij. annos, ut expressit supra in cap. quia in infulis.

(c) *Toletani.*] Relati in cap. monachum, 20. quest. 1.

(d) *Leonis.*] Relati in cap. puella, 20. q. 1.

monasterii in infantia annis sub regulari tradidit disciplina, non liceat eis postquam ad pubertatis pervenerint annos egredi, & matrimonio copulari: hoc ergo omnino dectandam, quia nefus est, ut oblati à parentibus Deo filii, voluptatis fræna laxentur. Igitur ut prædiximus, non licet eis susceptura unquam habitum deserere; sed cunctis qui consoram, aut religiosam vestem aliquando habuerint, in religionis cultu, habitumque, velint nolint, permanere cogantur. Et can. 22. & 23. Alexander III. post Concilium Lateranense p. 50. cap. 10. Concilium Toletanum 10. can. 6. cujus verba juxta traditionem Loayle ita transfero: *Cum hucusque dissoluta operationis effectus interdum nutare fecerit honeste constitutionis edictum, dum incondite resolutum putatur, quod indissolubile sanctionis auctoritate tenetur, ideo quicquid ob virum ex incerto currit, evidenter abjici debet, ut de cætero nihil superstiti, quod in dubium nutetur. Ideoque si in qualibet minori ætate, vel religionis consoram, vel religioni debitam vestem in utroque sexu filii, aut unus, aut ambo parentes dederint, certe nolentibus, aut nescientibus, si susceptum non mox visum in filius abdicaverint, sed vel coram se, vel coram Ecclesia, palamque in conventu eisdem filios talia habere permiserint, ad seculum reverti habitum ipsi filii quandoque penitus non licebit; sed*

COMMENTARIUM.

I. **E**X his duabus decisionibus communiter talis deducitur assertio: *Impubes à parentibus monasterio oblati, si post pubertatem non reclamaverint, non potest inde resistere.* Probant eam textus in cap. addidisti 2. cap. monachum 3. cap. quicumque 4. cap. infans 7. 20. quest. 1. cap. 1. 20. quest. 2. cap. clericus, junctis ibi notatis, de vita & honest. cleric. Concilium Aurel. 5. can. 18. *Qui à parentibus detronsi fuerunt, aut sponte sua amissis parentibus se ipsos religioni devoverunt, & postea habitum secularem sumpserunt, à sacerdote comprehensi, ad cultum religionis acta prius penitentia revocentur.* Concilium Wormat. sub Hadriano II. Pontif. & Ludovic. Pio Imperat. can. 2. *Si pater, vel mater filium, filiamve intra septa*

convicti, quod confirmam, vel religiosam vestem aliquando habuerint, mox ad religionis cultum habitumque revocentur, & sub aeterna distributione hujusmodi observantia inferre cogantur. parentibus sane filios suos religioni contrahere, non amplius, quam ad decimum eorum aetatis annum licentia poterit esse. Gregorius Papa II. epist. 14. Illustrant ultra congestos in praesenti à Barbosa Suarez de relig. tom. 3. lib. 6. cap. 3. Sanchez de matrim. lib. 4. diffin. 18. Basiliius eodem tract. lib. 7. cap. 5. num. 10. & 9. 3. scholast. cap. 5. Vasquez in 1. 2. D. Thomae, diffin. 85. cap. 6. num. 43. Yepes tom. 2. chron. D. Benedicti, anno 633. cap. 3. Antonius Augustinus in epit. juris Pont. lib. 9. tit. 10. Germonius lib. 3. de sacror. immunit. cap. 4. Barbosa lib. 1. juris Eccles. cap. 45. num. 13. Espenceus de voto contin. lib. 4. cap. 5. Gibalinus de clausura regul. disquisit. 3. cap. 2. §. 3. Hallierius de sacris elect. sect. 8. artic. 1. Haaphrenus disquisit. monast. tom. 1. lib. 4. tract. 1. per totum. Petrus Herodius in tractatu de patrio jure, pag. mihi 984. Leo Pinel. in cap. 2. hoc tit. §. 5. per totum, Bellarminus tom. 1. contro. lib. 2. de mon. cap. 36. Narbona de aetate ad actus humanos, anno 7. quest. 17. & anno 14. quest. 17. Avendaño de metu lib. 2. cap. 48. Cellotius de hierarch. lib. 5. cap. 8. §. 2. Menardus ad concord. regul. fol. 986. Bravo ad regul. D. Benedicti, cap. 59. Caballutius in notis. Concil. in Concil. Wormar. Altesiera lib. 1. differr. cap. 5.

Sed pro dubitandi ratione in praesentem assertio- nem sic insurgo: Nemo obstringi debet votis monasticis citra propriam voluntatem, quam praecise exigit omne votum, vel juramentum, cap. unic. 30. quest. 1. D. Thomas 1. 2. quest. 98. artic. 4. docent Narbona dicta quest. 17. num. 8. & 10. Sylveiter in summa, verbo votum 2. quest. 9. & 11. Vasquez dicta diffin. 85. cap. 6. num. 43. Lessius de justitia lib. 2. cap. 4. dubit. 10. num. 66. Gutierrez in authentica Sacramenta, num. 14. Marquez in Gubernat. lib. 2. cap. 22. in fine. Sed velle non creditur, qui obsequitur imperio patris, vel domini, l. nec filium, Cod. de nuptiis, l. velle, ff. de reg. jur. ergo filii à parentibus religioni oblatis virtute talis oblationis votis monasticis non manent obstricti. Augetur primò hæc dubitandi ratio; nam metus reverentialis parentum reddit nullam professionem filiorum, cap. puella 20. quest. 1. cap. presens 20. quest. 3. metus enim reverentialis gravis censetur, ut probant Basiliius de matrim. lib. 4. cap. 5. à num. 6. & cap. 11. num. 16. Pantoxain 1. 2. num. 1. ff. de aleat. Stephanus Durantius qq. jur. quest. 4. Medrano de consens. connub. cap. 13. numero 10. & 11. Igitur multò magis reddit nullum actum in casu oblationis filii factæ à parentibus absque ejus voluntate. Secundo fulcitur hæc difficultas ex eo, nam inutilis est promissio, quæ quis spondet alium daturum, facturumve; quia de semetipso quisque promittere debet, ut obligetur, l. stipulatio 38. in princip. l. si ira stipulatus 97. §. 1. ff. de verb. oblig. l. si sine 9. §. alius 3. l. si filius 19. ff. de interrogat. l. enim qui §. §. sed si quis ff. de consit. pecun. authent. si quando, C. eodem titulo, l. fluminum 24. §. quamquam ff. de damno infecto, l. scilicet 65. ff. de fidejuss. §. verba vice, Instir. de inutil. ibi: Videtur in ea causa esse ut non teneatur; quia ita à jure receptum fuit, ut non aliter quis obligetur, quam si de seipso promittat. Igitur virtute promissionis paternæ filius

D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. III. Pars II.

obstringi non debet ad amplectendam vitam religiosam. Augetur tertio hæc difficultas ex eo, quia unicuique libera esse debet facultas, ut certum vivendi genus pro arbitrio eligat; non enim frustra natura ad singulos non solum status, verum etiam singulas condiciones, artes, disciplinas, propensionem singulis indidit: proinde parentes jura pervertunt, qui filiorum suorum pro arbitrio condiciones longè praescribunt; Immo Dei ipsius gratiæ, ac vocationi injuriam faciunt, qui de ea, ut de re sua, & in potestate constituta disponunt, & quadam temeritate ad monasticum statum liberos, quorum nec indolem, nec animum norunt, parentes condemnant potius quam vident, ignorantes, quod Dominus ait apud Matthæum cap. 19. de virginibus agens: *Næc omnes capiunt verbum istud*: Immo cœlibatam nulla necessitate constriungens, concludit ibi: *Qui potest capere capiat*. Igitur parentes non possunt filios ita offerre religioni, ut necessitatem illis imponant, ut velint nolint vitam, quam non optant, profiteantur? nec potest vera esse religio, quæ religionis ordinem à Deo statutum pervertit. Hunc autem ordinem Deus praescripsit, ut non nisi volentibus perfectionis statum proponi voluerit? *Si vis* (inquit Dominus apud Matthæum cap. 19.) *perfectus esse, vade & vende omnia, quæ habes*. Quem ordinem sequutus Apostolus 1. ad Corinthios cap. 7. ait: *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do*. Irreligiosa itaque erit oblatio parentum, quæ filios religioni devinctet. Nec solum praesenti ratione adstruitur, verum & Sanctorum sententiis firmatur. Divus enim Augustinus epist. 199. de filio à parentibus oblato ita ait: *Quid mirum, si pater communem filium volebat hujus viri sustentaculis à matre nudari, ignorans quid in grandiscula aetate facturus esset, monachi ne professionem, an ecclesiasticum monasterium, an conjugalis necessitatis vinculum: quamvis enim ad meliora excurrendi, & commoneandi sunt filii Sanctorum, unusquisque tamen donum habet à Deo, alius sic, alius autem sic*. D. Ambrosius de exhort. ad virgines, laudat Julianam, & ita alloquentem liberos suos introducit: *Necessitatem hujus vite, & temptationem hanc si vultis filii vitare, integritas corporis vobis expetenda, quam pro consilio suadeo, non pro imperio præcipio; solum enim suaderi potest, imperari non potest rei magis voti, quam præcepti: quod enim gratiæ est, non jubetur, sed desideratur; electionisque magis est, quam servitutis. Unde Apostolus de hoc consilium dat, præceptum Domini non habet, qui spadonibus in cœlo ceteris præstantiora promittit, sed negat hoc capere conditionis humane infirmitatem, ut virginitas omnibus pateat, solis ad capiendum facilis, quibus divina resulsit gratia, ut castrare se possint, quo regnum cœlorum adipiscamur, & Angelorum vitam exhibeant: hoc vobis suadeo, quo nihil pulchrius. Accedit Tridentinum sess. 25. de reform. cap. 17. Igitur obligationem castitatis servandæ, quam nec Christus, nec Apostoli imperare voluerunt, parentes virtute oblationis liberis imponere nequeunt. Augetur tandem hæc dubitandi ratio argumento deducto à matrimonio; nam ex promissione patris, etiam juramento firmata, non tenentur liberi con-*

K k k 2 trahere

trahere eas nuptias, quibus consensus ipsi minime adhibuerunt *cap. si verum, cap. tua sanctitas*; 3 i. 9. 2. ita fortiori ratione non obligantur ad monasticum statum, quem parentes pro ipsis voverunt. Dixi, fortiori ratione: tum quia matrimonium in sua primava natura habet naturam contractus, & ita facilis in eo potestas patria exerceri potest: tum quia perfectiora sunt opera, & per se difficiliora status monastici, quam conjugalis.

3. Quia difficultate ita fulcita non obstante, vera est praesens assertio, pro cuius expositione sciendum est, tam in lege veteri, quam nova gratia, moris fuisse, parentes suos liberos suos Deo vovere, & dicere, cuius rei exempla quamplurima habemus. In sacrapagina constat, Samuelem Prophetam maternam devotione Deo prius oblatum, quam huic mundo editum. *Postquam vero oblitus est, adduxit enim Anna mater ad domum Domini in Silo: puer autem erat adhuc infantulus.* Et *Reg. cap. 1. vers. 24.* triennem tunc fuisse Salianus, Gaspar Sanctius, alique tradunt. Cui sententiae favet Chryostomus *tom. 1. homil. 3. de fide Anna*, ibi: *Adduxit, ac reliquit (Anna Samuelem) nec puer a mamma diuulsus molestè tulit, cum sciat quàm soleant indignari pueri, quoties à lacte depelluntur.* Et non longè post: *Primò statim pueritià à mamma matris venit ad mammam spiritualem.* Samuël etiam parentum voti tenax Nazareus factus, toto vitae suae tempore à vino abstinuit, aliosque Nazareorum ritus religiosè observavit, ut refertur in *cap. 13. iudicum*. His adjungo sacratissimam Deiparam Virginem Mariam, quae, ut Nicephori verbis utar *lib. 1. Eccles. histor. cap. 7. ibi: Statim atque à lacte materno abhorruit, & mammam attingere noluit, promissionem mater adimplet, & in templum ascendens, iuxta votum eam Deo consecrat, tertium tunc aetatis annum agentem.* Et sacerdotes quidem tunc eam tanquam sanctius quoddam donarium suscipere; & puellam in sacro forandam esse dixere, ad antiqui illius Samuelis similitudinem. Quam sacram historiam contra Centuriatores probat & defendit Haephtenus *lib. 4. disquisit. monast. disquisit. 3.* His itaque exemplis, & documentis informati Christiani, eundem morem observarunt, quem pium, aequumque esse defendit Origenes *homil. 11. in Levit.* & nonnullis exemplis firmare possumus, veluti Gregorii Nazianzeni, cuius mater cum macula prole caretet, ejusque habendi cupiditate flagraret, promisit, si Deus ejus votis adnueret, filium Deo consecraturam: & cum non longè post masculum enixa esset, illum statim Deo obtulit, ut refert Gregorius Presbyter in *vita Sancti Gregorii Nazianzeni*. Idem de aliis refert D. Hieronymus in *epist. 15. ad Marcellam*. Similiter Heliodorum puerum trium annorum monasterio oblatum fuisse, refert Theodoretus in *Philotheo*, & alia exempla puerorum, qui à teneris annis monasterio à parentibus oblati fuerunt, referunt Franc. Hallierius *ubi supra, fol. 352. num. 3.* Haephtenus *dicta disquisit. 3.*

4. Ritus autem devovendi, ac consecrandi Deo filios impuberes expressit, praescripsitque D. Benedictus *cap. 59. suae regulae*, in illis verbis: *Si ipse puer minori aetate est, parentes ejus faciant petitionem, quam supra dixi, & cum oblatione ipsam petitionem & manum pueri involvant in palla*

altaris, & sic cum offerant. De rebus autem suis, aut in praesenti petitione promittant sub iurejurando, quia nunquam per se, nunquam per susceptam personam, nec quolibet modo, & aliquando aliquid dent, & tribuant occasionem habendi, vel certe si hoc facere noluerint, & aliquid offerre voluerint in elemosynam monasterio pro mercede sua, faciant ex rebus, quas dare volunt monasterio. Ex quibus verbis apparet primò, parentes petitionem, promissionemque fecisse his verbis: *Ego talis promittor coram Deo, & Sanctis ejus pro filio meo de stabilitate sua, & conversione morum, atque obedientia.* Lanfrancus in *stat. cap. 18.* & integram formam oblationis refert Smaragdus in hac verba: *Dum legaliter sanctum, antiquitque tenetur cautum cum oblationibus Domino parenti suis tradere filios in templo Domini Domino feliciter servituros, proculdubio hoc de nostris filiis faciedum nobis salubriter prebetur exemplum: aequum etenim est iudicium Creatori nostro de nobis reddere fructuum, idcirco filium nostrum N. cum oblatione in manu, atque petitione palla omnino involvita, ad honorem Sanctiorum, quorum hic reliqua continentur, & Abbatis praesentis trado coram testibus regulariter permansurum; ita ut ab hac die jam non liceat illi collum de sub regala excurrere iugo, ejusdemque regule fideliter se cognoscat instituta servare, & Domino cum ceteris gratanti animo militare: & ut hac traditio nostra incorrupta permaneat, promitto cum iurejurando coram Domino, & Angelis ejus, quia nunquam per me, nunquam per susceptam personam, nec quolibet modo per rerum mearum facultates aliquando egrediendi ei de monasterio tribuo occasiones. Et ut hac petito firma permaneat, manu mea eam firmavi, & testibus tradidi roborandam.* Haec tenus Smaragdus. In cuius formula primò notandum est oblationem filii à parentibus fieri simul cum alia re: quod & docuerunt Lanfrancus de *statibus capite 18.* Boëtius in *dicto cap. 59. regul. D. Benedicti*, ibi: *Aliquid conferatur ad stipem templi, velut panem, aut vinum, vel lumen, vel utrumque cum puero offerant.* Quam oblationem iuxta morem legis veteris, in qua mulier expletis diebus purificationis suae offerbat in templo filium cum agno amiculo in holocaustum, & pullum columbae pro peccato, *Levit. cap. 12.* exponit Haephtenus *dicto lib. 4. disquisit. 3.* Deinde manus pueri offerendi altaris palla, seu syndone, quae altare tegit, obvolvuntur. Lanfrancus *dicto cap. 18.* ibi: *Qua oblatione sacerdote suscepta, involvant prae dicti parentes manus pueri in palla, qua altare cooperitum est, & cuius pars anterior pendet, & tunc suscipiat eum Abbas.* Cui consonat consuetudo, quam apud suos servari refert Boëtius in *dicto cap. 59. regul. D. Benedicti*, ibi: *Facta receptione in Capitulo, habitu indutus per parentes, & amicos puer offertur ad altare, & super ipsum genibus flexis, & capite inclinato duo fratres imponunt pallum, seu pallium, quod ante altare dependet.* Per quam symbolicam traditionem transferri possessionem, dominiumque cujusque rei, jam probavi in *capite 2. de consuet.* Tertio lequebatur promissio parentum, quae ut Lanfrancus *dicto cap. 18.* ait: *Promittebant, quod per se, aut à se suppositam personam susceptum Ordinem puer nunquam relinquat, nec se ei aliquid scienter daturus, unde puer (quod absit) perire possit: hanc promissionem prius scriptam coram testibus verbis ibi prius edicam,*

edicant, & postea super altare ponant. Fiebat enim prædicta promissio coram testibus. Concilium Aquilgran. can. 36. *Vix puerum pater, & mater tempore oblationis offerant altari, & petitionem pro eo coram laicis testibus faciant.* Quæ verba reperiuntur in *addit. 1. capitul. tit. 36. ex ratione adducta in cap. final. 20. q. 2.* Ritum verò testificandi refert Ruthardus his verbis: *Ille (pater) debet respondere, dicens: Volo tradere filium meum Deo omnipotenti ad servendum sibi in hoc monasterio.* Et paulò post: *Deinde debet dicere Abbas testibus: Auditis fratres, & videtis, quid iste dicat? Illi debent dicere: Audimus, & videmus.* Tandem expletis his, inquit Lanfrancus in statutis cap. 18. *Benedicat Abbas cucullam, exuensque puerum cappà, vel pedibus, vel aliâ huiusmodi chlamyde, dicat: Exuat te Dominus veterem hominem, &c. Dehinc ducatur ad radendum, & vestiendum, sicut nostri Ordinis consuevit. Cum autem adultâ ætate facturus professionem fuerit, fiant & cetera, quæ superius debere fieri converso jam diximus.* Hoc enim quod modo factum est, veterari non oportet. Hactenus ritus prædictæ oblationis, qui ad eò diligenter observandi erant, ut ex eorum neglectu professio nulla redderetur. Unde Nicolaus Papa in cap. præfens 20. q. 3. de crevit Lambertum puerum à parente oblatum non teneri in monasterio permanere; quia pater inter cetera sub juramento declarasset, quod nunquam Lambertus regulam aliquam promississet, nec ipse pater pallio (aliâ palla) altaris illum indutum obtulisset, nec à sacerdote, vel Abbate benedictione acceptâ vitam monasticam promississet. Similiter D. Bernardus episc. 1. probat, Robertum nepotem suum, qui de Ordine Cisterciensi transierat ad Cluniacenses, apud quos puer fuerat oblatum, non teneri ad eos redire, eo quod illis magis promissus fuisset, quam donatus. Nec enim, inquit Sanctus, petitio, quam regula præcipit, pro eo facta fuit à parentibus; nec manus illius cum ipsa petitione involuta pallâ altaris, ut sic offerretur coram testibus.

5. De offi-
tia tra-
jus obla-
tionis.

Sed circa obligationem, quæ ex hac oblatione parentum in filiis oritur, non consentiunt Doctores, tam Theologi, quam Canonice. Aliqui affirmant, filios à parentibus in infantia oblatos, posse ad seculum redire, nisi postea in legitima ætate oblationi de se pridem factæ expressè, vel tacitè consenserint, retinendo scilicet habitum; vel munia professorum obeundo: ita docuerunt Barbosa in præfenti, & in cap. significatum 11. num. 3. hoc tit. Germonius lib. 3. de sacr. immunit. cap. 4. num. 23. Gibalinus de clausura regul. disquis. 3. cap. 2. sect. 3. ex num. 16. Leo Pinel. in cap. 2. hoc tit. §. 5. Lessius de justitia, lib. 2. cap. 40. dubit. 10. Hallerius de sacris elect. sect. 8. art. 2. pag. 356. Vasquez in 1. 2. disput. 165. cap. 4. num. 32. Turricrem. & Boërius in cap. 59. regul. D. Benedicti, innuitque Antonius Auguistinus lib. 9. episc. tit. 30. Moventur primò ex textu in cap. illud 10. 20. q. 1. ubi Marcellus Pontifex, qui floruit per annos 304. ita statuit: *Si in minori ætate filii monasterio oblari fuerint, vel sacram tonsuram, vel velamina susceperint, dignum quidem duximus, ut xxv. anno à Prælati moniti inquirantur, utrum in ipso habitu permanere cupiant, an non: si verò permanere professi fuerint, ulterius penitendi locum minime amplecti possunt: sin autem ad secularem habitum red-*
D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. III. Pars II.

verti voluerint, redeundi licentia nullo modo denegetur, quia satis inutile est, ut coacta servicia Domino præstentur. Secundò ex cap. sicut, hoc tit. ubi dicitur, quod sicut qui monasteria elegerunt, à monasteriis egredi non permittuntur, ita & hi, qui inviti, sine iusta offensionis & occasionis causa sunt intronati, nisi volentes non teneantur; quia quod non petunt, non observant. Tertio ex cap. cum simus 14. hoc tit. in illis verbis: *Quod si dictus puer ad annos discretionis pervenerit, & habitum retinere noluerit monachalem, si ad hoc induci nequiverit, non est ullatenus compellendus, quia tunc liberum sibi erit eum dimittere, & bona paternam, quæ ipsi ex successione proveniunt, postulare.* Quarto ex cap. 1. 20. q. 1. ibi: *Firma tunc erit professio virginitalis; ex quo adulta iam ætas esse cæpit, & ea quæ solet ut apta nuptius deputari.*

6. Contrarium tamen, immò primis Ecclesiæ 6. seculis solam oblationem parentum constituisse Contra- filios verè monachos, ita ut ipsi non possent riasen- resiliere unquam à professione monastica, ad tentia referunt, & probantur. Haæptenus disquisit. monast. dicto lib. 4. disquisit. 4. Petrus Herodius in tract. de patrio jure, Cironius in parat. ad hunc titulum. Claudius Espenceus lib. 4. de voto continent. cap. 1. Basiliius quest. 3. scholast. cap. 5. quibus assentire videntur Manrique tom. 2. annal. Cisterc. anno 1117. cap. 1. num. 4. dum alium sensum non assignat dicto Concilio Tolet. relato in dicto cap. monachum. Yepes tom. 2. chron. D. Benedicti, anno 633. cap. 3. dum docent, attentò dicti Concilii Toletani decreto, filios oblatos à parentibus religioni perpetuâ infamiâ fuisse notatos, si habitum detulerint, nolentes eorum devotioni, ac oblationi stare, & parere. Quæ sententia verior est, & firmetur auctoritate, exemplo, & ratione. Auctoritate Conciliorum, & Patrum Ecclesiæ, quorum verba supra retuli pro illustratione præsentis conclusionis. Exemplis relatis supra ex sacra pagina. Nec etiam defunt prophana exempla; legimus enim apud Servium lib. 11. Æneid. Ipse pater famulam voveo. Ex quibus constat, jure etiam apud Gentiles parentes olim in filios habuisse potestatem auctoramenti, id est jus pro imperio devovendi, sive in victima, sive in sacerdotio, ut ex eodem loco observarunt Cironius in præfenti, Petrus Herodius de patrio jure, pag. 984. Et Cleas Sacerdos apud Plutarchum in libro de Iside & Osiride, ab infantia per parentes supponitur devota, dedicataque Deæ; quod antiquitatis monumentum nec laicitè politissimum, & cultissimum Barclajum, dum Regem Meleandrum inducit pro sua potestate Argemidem filiam Palladis Sacerdotio præficiendam, lib. 2. sue Argemidis, forsitanque eodem alludit Cæsar lib. 6. de bello Gallico, cap. 4. ubi Druidum (qui Gallorum Sacerdotes erant) privilegia recensens, multos parentes Diis filios suos tradidisse refert. Notavit Petrus Herodius ubi supra. Rationibus etiam hæc sententia adstruitur; quemadmodum enim in susceptione baptismi parvulorum intercedit votum, & quidem solenne Religionis christianæ, quo adstringuntur baptizati per patres, seu patrinos, perpetuò tenere, & profiteri catholicam fidem; eodem modo, quos olim parentes religioni vovebant illi obligabant per vota solennia, & substantia- lia. ut docuit Perezus in d. cap. 59. Regul. D. Benedicti

nedicti. Et sicut pater olim illum, quem proprium vendidisset, in servitute manebat; ita & religioni oblati tenebatur servare vitam monasticam, & in monasterio persistere. Sed cum deinceps SS. PP. Ecclesieque Praefules agnoscerent pravos effectus evenire ex hac subita filiorum oblatione, sanxerunt post sextum Ecclesie seculum, ne aliter filii oblatis parentibus cogerentur in monasterio persistere, quam si post annos probationis tacite, vel expresse oblationi parentum consensissent, hoc insuper addito, ne ante discretionis annos ipsis liceret a religione resilire, *cap. puella 8. cap. sicut 9. 20. q. 1. cap. significatum est, cap. cum firmus, hoc rit.* Unde jure noviori triplicem sortitur effectum paterna oblatio. Primus est, ut ita oblatis possint a monasterio recipi, & retineri. Secundus, ut pater non possit amplius uti patria potestate ad eos revocandos, quia jam cessit juri suo, & quantum in se est, per oblationem filios religioni donavit, ipsamque donationem acceptavit. Tertius est, ut neque ipsi sua voluntate ante annos probationis egredi possint, quia in ea aetate non tam sua, quam patris voluntate reguntur.

7.
Respon-
detur
funda-
mentis
contra-
riis.

Nec obstant contrariae sententiae fundamenta: non textus in dicto cap. illud; nam ut recte notavit Haaphtenus dicto lib. 4. disquis. 12. textus ille non est Marcelli Pontificis, nec illius tempore agi poterat de filiis oblatis a parentibus Religioni, cum vix essent monachi intra claustrum vitam religiosam agentes; sed Eremitae tantum in eremo secedentes. Unde cum textus ille transcriptus sit a Palea Gratiani discipulo, nec reperitur apud alios Decretistas, videlicet Anselmum, Carnotensem, Burchardum, merito ejus auctoritas negatur. Nec obstat textus in dicto cap. sicut, ead. quae. cui facile respondetur, si observemus, textum illum in modum objectionis a Gratiano transcriptum, intelligendum esse de adultis parentum imperio coactis Religionem ingredi, ut satis ex ejus serie liquet. Nec tandem obstat textus in dicto cap. 1. qui desumptus est ex regula D. Basilii, interprete Rufino. Quia respondetur, in eo agi de professione il-

lius puella, quae in annis pueritiae proprio arbitrio Deo offertur; quam oblationem non confirmat parentum consensus: non ergo in eo textu professio coepert ab oblatione parentum, sed a propria professione; unde quid mirum, ut legitima aetas desideretur. Nec obstant utriusque juris principia, quae pro dubitandae ratione expendebamus; quibus moti Ecclesiae Praefules post sextum saeculum decreverunt, ultra oblationem parentum desiderari in filiis voluntatem propriam, tacitam, vel expressam, ad veram professionem emittendam in Religione. At vero primis Ecclesiae seculis virtute oblationis tantum paterna filii monachi efficiebantur, quoniam pater, materve, qui jure naturalis potestatis filium Religioni offerebant, disponebant de re sua ad libitum proprium, nec promittebant alienum factum filii, sed illum tanquam rem propriam Deo dicabant, ut docent Suarez de Relig. tom. 3. lib. 5. cap. 1. Haaphtenus dict. tract. 2. disquis. 2. & 4. Petrus Herodius de patrio jure, pag. 984, ut jure civili etiam licuit ratione domini servos in usum templi dedicare, l. servos 35. ff. de liber. caus. ubi Cujacius, & Gothofredus, vel eos testamento manumittere sub ea conditione, ut in templo deservirent, vel a monumento non recederent, l. libertis 18. §. ult. ff. de alim. legat. l. Tino centum. ff. de condit. & demonstr. quae conditio, aut devotio ipsos servitio religionis obtrungebat, ut docuit Amaya lib. 1. obs. cap. 6. num. 13. Nec tunc domini factum alienum promittebant, sed de re propria disponebant: ita etiam cum filios parentes monasterio offerebant, de re propria disponebant: quare virtute talis oblationis illis primis seculis illi perfecti monachi fiebant. Verum quia in his oblationibus sinistra intentio, seu respectus humanus intervenire poterat, rectius posterioribus Ecclesiae canonibus hoc fuit correctum, non sublata omnino parvulorum oblatione, sed hac adjecta conditione, ut nisi adveniente legitima aetate filii tacite, vel expresse consentiant, non censentur professi, immo rite possint a monasterio discedere.

CAPUT XIII.

Innocentius III. X. Abbat (a) de Flore.

Porrectum nobis ex parte tua petitorium continebat, quod I. Canonicus (b) Achende metuens, ne voto decederet non completo, junctis manibus tibi se (d) reddidit in monachum, & in fratrem: alii quoque in absentia tua sese in Sacerdotum manibus monachos fieri devotentes, sani sancti ad vomitum redierunt. Et cum familiares monasterii tui antea extitissent, quia non fuerunt ad antiquam familiaritatem admissi, adversarii facti sunt pro amicis. Utrum ergo talium facta dissimulare valeas, ne fiant deteriores; an compellendi sint ad complenda promissa, per nos postulas edoceri. Nos ergo inquisitioni tuae taliter respondemus, quod cum monachum faciat non (e) habitus, sed professio regularis, ex quo a convertendo emittitur, & recipitur ab Abbate, ut talis fiat monachus, & reddat Domino, quod promissit, erit ut, quae non immerito compellendus, Datum Lateran. 3. Idus Januarij.

NOTÆ.

NOTÆ.

i. (a) **DE Flore.**] Tam in hac sexta, quam in secunda collectione legitur tantum, *Idem*; sed malè, cum hujus textus auctor non sit Clemens III. sed Innocentius: unde reperitur inter epistolas ipsius editas à Sirleto, pag. 251. ex quo registro ita textum transcribo. Monasterium hoc Florense est Ordinis Cisterciensis, fundatum à Joachimo Abbate anno 1190. cujus situm, & fundationem his verbis describit Jacobus Silaneus scilicet. 23. Placuit ergo, Deo disponente, in Albanetho, ubi propriè de Flore est nomen, vestigia promerere: locus siquidem Floris amne duplici, à Meridiesciliet *Albula*; à Septentrione verò *Netbo* alluitur, qui velat *for*, & *Dan*, à radicibus Libani manantes, *fordamem*; ita Albanethum efficiunt. In Flore porro duobus remanentibus, si quo modo, more pastorum inquam, *mazalia*, ac *cajunculam*, tuguriumve extruere daretur, pater Joachim ad Raynerium adhuc in petra manentem redit: & nuntius denique aspectus exhibitione letantes, ubi primo in Flore constructum habitaculum sensere, se illuc conferre procurarunt. Refert, & alia de hoc monasterio, à quo originem duxit Congregatio Florensis, Manrique tom. 3. *annal. Cisterciens. dicto anno 1190. cap. 6.* adducit, & nos in cap. 2. de *summa Trinit.*

(b) **Acherontinus.**] De hac Ecclesia Cathedrali egi in cap. 53. de *restibus.*

(c) **Infirmirate gravatus.**] Ut plerumque contingit, cap. 3. de *renunc. cap. ult. de success. ab intest. immo & olim infirmi etiam Episcopi, seu presbyteri poenitentiam sibi imponi efflagitabant, ac ultimo languore depressi benedictionem accipere sapienter optabant. Concilium Gerundense can. 9. ibi: *Ut qui aegritudinis languore depressus poenitentia benedictionem, quam viaticum deputamus, per communionem accepisset, &c.* Concilium Tolet. 13. can. 10. Ex priscis canonibus constat in causa Gaudentii Valerianensis Episcopi, qui aegritudine urgente poenitentiam per manus impositionem acceperat, & Synodum rogabat, an solita ministeria repetere posset: sancta Synodus diffinivit, ut stante priscorum canonum sanctione, quicumque Pontificum, vel Sacerdotum deinceps per manus impositionem poenitentia donum acceperint, nec se mortalium criminum professione notaverint, tenorem retinendi regiminis non omitterent; sed per Metropolitanum reconciliatione poenitentium more suscepta solita expleant ordinis, vel cetera mysteriorum sibi credita sacramenta. Notavi jam in dicto cap. 3. de *renunc.**

(d) **Tibi se reddidit.**] Aliquando acceptatio professionis, seu receptio profitentis ad Abbatem tantum spectat, aliquando ad eundem cum consensu fratrum existentium in monasterio, cap. *final. hoc titul. in 6. cap. consulti, qui cleric. vel vov. P. Gregorius lib. 3. partit. tit. 2. cap. 5.* immo & recipi potest religiosus per sacerdotem de Abbatis, seu superioris licentia, cap. *ad Apostolicam, hoc tit. ibi: Per se, vel per alium; & cap. Gonsaldus 17. q. 2. & si monasterium sit subiectum Episcopo, potest fieri professio in ejus manibus, vel alterius de ipsius licentia, ut probant Tamburinus tom. 3. de *jur. Abbat. disput. 6. q. 14. num. 4.* Peyrinis de *Prelato q. 3. cap. 1. num. 235.* Sanchez lib. 5. in *Decalog. cap. 4. num. 62.* Hieronymus Garcia tom. 1. *poli. regul. tract. 3. difficult. 2. dub. 8.**

Semper tamen ut titè, & validè professio emittatur, debet fieri in manibus Superioris, ut ab eo nomine totius communitatis acceptetur, Nec contrarium probatur in *cap. consulti, qui cleric. vel vov. ubi docetur, professionem posse fieri super altari.* Nam supponendum est, eam statim à Prelato esse acceptandam. Quid autem mysterii in eo lateat, quod celebrante Abbate professionis chirographum altari imponatur, optimè exposuit Gregorius Magnus lib. 4. in 1. *Regum, cap. 4.* his verbis: *Nos velut solam accedentium vocem (novitiorum) audimus, cum scimus quid exterius asserunt: sed quales inter sponsionis assertiones futuri sunt, nos videmus.* Loqui ergo ea in auribus Domini debemus, ut ipse sponsionis verba suscipiat, qui dum verba audit, corda discit; & ex textu professionis usuras exquirat robusti operis. Hoc namque novitiorum nostrorum mentes audiant, & expavescant; quia videlicet, quod nobis dicunt, in auribus Domini loquimur; nam quod coram nobis promittunt, Deo offerimus, ut ipse jam de manibus nostris teneat quod exquirat. Cum ergo ea, quæ novitii promittunt, Deo offerimus, quasi chirographum quod nobis faciunt, illi damus.

(e) **Non habitus, seu professio.**] Consonant Honorius III. in *cap. final. hoc titulo.* Trident. *sess. 14. de reform. cap. 6. B. Anselmus in carmine de mundi contemptu, ibi:*

Non consura facit monachum, non horrida vestis;

Sed virtus animi, perpetusque rigor:

Mens humilis, mundi contemptus, vita pudica,

Sanctaque sobrietas: hæc faciunt monachum.

Hæc vos in cælum (Monachi) quadriga levabit;

Si fiat in terris dignum salutis opus.

Nilil consura jureat, jureat aut vilissima vestis,

Si lupus es, quamvis jam videaris ovis.

Nam falli possunt homines, sed fallere Christum

(Qui nullum fallit) nemo potest hominem.

Ille quidem fucum simulacra religionis

Dannat, & in reprobis moribus esse acquirit.

Unde vulgò traditum est *Habitus non facit monachum.* Cujus proverbii locutionem ex Græcis derivatam fontibus, affirmant Cælius Rhodigin. lib. 3. *antiqu. lect. cap. 12.* & ex Plutarcho ea verba refert: *Non Philosophum facit promissor barba, nec vestis pertrita.* Et apud Aulium Gellium Herodes ait: *Video barbam, & pallium; Philosophum nec dum video:* Nec dissimile est, quod ex D. Chryostomo refert Gratianus in *cap. multi, 40. dist. Non cathedra facit Sacerdotem, sed Sacerdos cathedram: non locus sanctificat hominem, sed homo locum.* Unde Sancti PP. parum præsidii posuerunt in externo habitu. Sanctus Ephrem adversus monachos vitiosè viventes ait: *Non pueris in cingulo, aut veste longa consistere perfectionem monachi; nam habitus absque operibus nihil est.* Et in *serm. de vita monast.* D. Hieronymus *epist. 22. ad Eustochium.* Illustrant latè Haaphtenus *disquisit. monast. lib. 5. tract. 8. disquisit. 5.* Savarus *ad Sidonium lib. 4. epist. 9.* Theophilus tom. 16. in *Hereroel. spirit. scilicet. 5. p. 1.*

COMMENTARIUM.

Licet tempus certum præscriptum sit ab Ecclesia ad professionem emittendam, ut supra probavi in cap. 6. non solum gratia novitii, verum & in favorem monasterii, ut ille experiarur utrum monasterii, & regulæ onera subire possit, & monasterium agnoscat, num mores illius

convenienti vita, & professioni monastica: si tamen ante tempus probationi præfinitum is, qui converti desiderat, habitum suscipiat, & professionem emitat, Abbate per se, vel per alium professionem acceptante, cogendus est votum adimplere, etiamsi habitum professionum non susceperit, nec intra claustra monasterii per tempus probationis commoretur; quia nec habitus mutatio desideratur ad essentiam professionis, ut probant Castro Pa-

lao *tract. 16. punct. 12. §. 4. num. 4.* Barbosa *alleg. 101. n. 108.* Suarez. *de relig. tract. 7. lib. 5. cap. 14. num. 9.* Nec etiam desideratur pro substantia professionis, ut novitius tempore probationis commoretur in ipso monasterio, ut probant Barbosa *dicta alleg. 101. num. 28.* Tambur. *de iure Abbat. tom. 3. diff. 6. quest. 7. num. 16.* Gibalin. *de clausur. disquis. 2. cap. 2. §. 3. conclus. 7.*

CAPUT XIV.

(a) Cœlestinus III.

Cum simus, &c. *Et infra:* Sanè nuper auribus nostris est relatum, quod cum C. miles lepræ morbo, Domino permitte est reserptus, se cum filio suo discretionis annos nullatenus agente, ad quoddam monasterium cum bonis etiam suis, quæ à (b) monasterio ipse tenuerat, (c) contulisset, dictum filium suum habitum fecit suscipere monachalem. Cumque ipsi puero disciplina monastica propter asperitatem regulæ displiceret, infra x. hebdomadarum spatium à monasterio & habitu suscepto taliter resiliens, (d) bona patris ab Abbacia illa cœpit cum instantia postulare. Et cum super hoc ad diœcesanum (e) Episcopum quæstio delata fuisset, & coram eo aliquandiu disputatum, quia plerique sentire de rigore canonum videbantur, si consanguinei dicti pueri possent testibus comprobare illum, quando fuit oblatas, infra annos discretionis existere, ipsum tali voto nullatenus obligari, dictus Abbas ad Maguntinæ Sedis audientiam appellavit, & quidam ex consanguineis ejusdem pueri ad Romanam Ecclesiam appellationem, sicut ex literis Augustini Episcopi comperimus, transtulerunt. Ideoque discretioni v. significatione præsentium intumamus; quod si dictus puer ad annos discretionis pervenit, & habitum retinere noluerit monachalem, si ad hoc ipsum induci nequiverit, non est (f) compellendus. Quia tunc liberum erit sibi eum dimittere, & bona paterna, quæ ipsi rectè (g) successione proveniunt, postulare.

NOTIÆ.

1. (a) **Cœlestinus III.**] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap. 5.* nullibi tamen exprimitur Prælatas, cui rescribat Pontifex; illud tantum liquet, casum in præsentis decisionis contigisse in Germania, in diœcesi suffraganea Archiepiscopi Moguntini; siquidem ad ipsum Metropolitanum appellatum fuisse refertur.
 - (b) *Quæ à monasterio.*] In feudum videlicet.
 - (c) *Contulisset.*] Oblatione facta, vel professione emissa, ut in *cap. in præsentia, de probat. cap. final. de success. ab intest.*
 - (d) *Bona patris.*] Non verò ea, quæ pater in feudum ab ipso monasterio acceperat, in quibus per ipsam professionem monasterium integrum jus recuperavit finito feudo.
 - (e) *Episcopum.*] Ad quem olim cognitio super nullitate cujuslibet professionis spectabat, ut sæpe sæpius in Decretalibus sub hoc titulo compilatis supponitur. Hodie tamen ex dispositione Concilii Tridentini, *sess. 25. de regul. cap. 19.* causa nullitatis professionis disceptari debet coram Episcopo diœcesano, & superiore ipsius monasterii, ubi nullitas professionis intenditur; quod pluribus sacræ Congregationis declarationibus diffinitum fuisse referunt Barbosa *in dict. cap. 19. Concil. num. 22.* Tambur. *tom. 3. de iure Abbat. disputat. 6. quest. 26. num. 3.* Garcia *tom. 1. polit. regul. tract. 3. diff. cult. 4. dub. 3. punct. ult.* Brun. Chaffaing. *de privil. reg. tract. 4. cap. 6. propos. 7.*
 - (f) *Non est compellendus.*] Quia licet esse ob-
2. (g) *Successione proveniunt.*] Dubium est tamen, & magnum apud Doctores, an post professionem patris in monasterio factam, ejus filius debeat legitima portio, perinde ac si jam ex hac vita migrasset? Et pro negativa sententia, quam defendunt plures congesti à Barbosa hic, faciunt primò textus in *authent. si qua. Cod. de sacros. Eccles. quæ extat apud Gratianum in cap. si qua 19. quest. 3.* ubi disponitur, obeunte patre professo nullà bonorum divisione facta, filios tunc legitimam percipere debere: unde deducitur à contrario sensu, vivente adhuc patre, filios non posse eam petere. Secundò, quia legitima non debetur filiis, superstiti patre, *l. 1. §. impuberi. ff. de collat. bonor. l. quotiens. ff. solut. matrim.* adeò ut nullo casu possit peti à filio vivente patre, *l. 2. C. si à parente quis fuerit, l. sed si si 25. §. Consuluit. ff. de petit. hered.* Mancinus de legitimo. *p. 1. quest. 15.* Tertio, nam poterit filii præmori antequam pater monachus decedat, & sic bona ad monasterium pertinebunt. Quam rationem in non dissimili casu adducit Consulutus in *l. Statius, §. Cornelio. ff. de iure fisci.* Deinde faciunt textus in *l. sed si mors 13. ff. de donat. inter vir. l. res uxoris, eod. tit.* ubi docetur donationem factam à marito uxori, quæ non

latus à parte religioni; tamen ex noviori jure, quod vigeat temporibus Cœlestini, filius ita oblatas poterat adveniente pubertate resiliere, nisi jam tacite, vel expressè fuisset professus, ut probavi supra in *cap. cum virum*, ubi commentarium hujus textus dedi.

(g) *Successione proveniunt.*] Dubium est tamen, & magnum apud Doctores, an post professionem patris in monasterio factam, ejus filius debeat legitima portio, perinde ac si jam ex hac vita migrasset? Et pro negativa sententia, quam defendunt plures congesti à Barbosa hic, faciunt primò textus in *authent. si qua. Cod. de sacros. Eccles. quæ extat apud Gratianum in cap. si qua 19. quest. 3.* ubi disponitur, obeunte patre professo nullà bonorum divisione facta, filios tunc legitimam percipere debere: unde deducitur à contrario sensu, vivente adhuc patre, filios non posse eam petere. Secundò, quia legitima non debetur filiis, superstiti patre, *l. 1. §. impuberi. ff. de collat. bonor. l. quotiens. ff. solut. matrim.* adeò ut nullo casu possit peti à filio vivente patre, *l. 2. C. si à parente quis fuerit, l. sed si si 25. §. Consuluit. ff. de petit. hered.* Mancinus de legitimo. *p. 1. quest. 15.* Tertio, nam poterit filii præmori antequam pater monachus decedat, & sic bona ad monasterium pertinebunt. Quam rationem in non dissimili casu adducit Consulutus in *l. Statius, §. Cornelio. ff. de iure fisci.* Deinde faciunt textus in *l. sed si mors 13. ff. de donat. inter vir. l. res uxoris, eod. tit.* ubi docetur donationem factam à marito uxori, quæ non

sustinetur; nisi mors sequatur, *l. cum hic status 32. ff. eod. tit.* non confirmari morte civili, sed expectandam esse mortem naturalem. Facit etiam textus in *l. non vix; ff. de donat. caus. mort.* quibus addi potest textus in *l. fideicommissa 11. §. si cui, ff. de legat. 3.* ubi ait Consulutus, filium, cui fideicommissum relictum erat sub hac conditione, si morte patris sui juris fieret, non esse admittendum ad fideicommissum antequam mors naturalis patris contingeret, etiam si emancipatione sui juris factus sit. Nec tunc obitare affirmant præsentem textum, quia illum accipiunt casu, quo pater jam erat mortuus, ut deducitur ex verbis jam relatis, *successione proveniunt.* Nam si adhuc pater in humanis esset, non posset agi de ejus successione, *l. 1. ff. de hered. vel act. vendit. l. qui superstitis, ff. de acquir. hered.* & patrem in præsentem specie decessisse, ex hujus textus integra deduci testatur Felinus in cap. *in præsentia, num. 56. de probat.*

Contraria tamen sententia, cui tanquam priori adhæreo, docet, deberi filiis legitimum ex bonis parentum statim, ac ipsi religionem sunt professi, ut aperte docetur in præsentem textu, in cujus specie si pater jam decessisset, nulla daretur dubitandi ratio, contra textum in *l. quod Labeo, ff. de Carbon. edict. l. Domitius 27. ff. de testam. & affirmat Corsetus inzul. 162. num. 3. se integram hanc decretalem legisse, & perlegisse, nihilque in ea invenisse, ex quo deduci possit, pa-*

terem jam defunctum esse. Facit etiam, nam professio monastica regulariter morti naturali equiparatur, *cap. placuit 16. quest. 1. l. Deo nobis, C. de Episc. & cleric. ubi pactum de lucranda dote in casum mortis uxoris conceptum, verificatur in professione religionis; quia regulariter, quando idem effectus resultat ex utraque morte, dispositum in casu mortis naturalis, verificatur in casu mortis civilis.* Quo modo vulgò accipiuntur textus in *l. si necem, §. si deportatus, ff. de bonis libert. l. actione, §. publicatione, ff. pro socio, l. in insulam 42. ff. solut. matrim. l. si decesserit, ff. qui satisf. l. sed si alia, in princip. ff. de bonis damnat.* ergo sicut defuncto patre filio debetur legitima; ita & eo mortuo civiliter per professionem. Quare hanc sententiam tuerentur innumeri congesti à Barbosa in præsentem, Thomas Sanchez lib. 6. in Decalogum, cap. 10. num. 3. Mancinus de leg. quest. 15. num. 15. Merlinus eod. tract. q. 25. Nec tunc obstant fundamenta contrariæ sententiæ; nam in dict. authent. *si qua mulier*, non asseritur, filium posse petere legitimam, professio patre; sed tantum, quod si non fuerit ante mortem patris assignata portio, postea erit assignanda; ut docuit Fachin. lib. 2. contror. capite 13. Nec omnia alia fundamenta refragantur; nam supponimus, patrem professum pro mortuo haberi post professionem. Unde legitima à filio exigitur tempore habili, non verò patre vivente.

CAPUT XV.

Innocent. III. Episcopo, & Capitulo (a) Tragurien.

Sicut tenor vestrarum litterarum nobis aperuit, cum P. lator præsentium in sacerdotali esset officio constitutus, & tantâ rerum temporalium indigentia laboraret, quod nec sibi, nec suis progenitoribus, seu fratribus, in necessitatibus propriis posset aliquatenus providere, proprii corporis laboribus & maris periculis multis se non dubitavit exponere, ut de suo labore, & acquisitione honesta suam, & suorum posset indigentiam relevare. Contigit autem post hæc, quod ipse longè à vestra civitate consistens, tam gravi cœpit ægritudine laborare, quod extra se positus, desperaret de vita præsentem: & dum in tali esset articulo constitutus, à quodam simplici monacho indutus fuit habitu monachali, & ad monasterium deportatus. Deinde paucis diebus elapsis, cum jam esset in principio suæ convalescentiæ, deposuit habitum, & delictentia ejusdem loci Abbatis monasterium dereliquit, & cupiens (b) progenitorum indigentiam subvenire, à vobis suppliciter postulavit, ut posset, sicut prius, in sacerdotali officio ministrare, & vobiscum pariter conversari. Quid autem super his vobis fuerit faciendum, sacra Apostolicæ Sedis oraculo humiliter petitis edoceri. Nos igitur vestræ consultationi taliter duximus respondendum, quod licet ista duo inter se repugnantia videantur, ut scilicet quisquam sit extra se positus, & de præsentem vita desperet; si tamen eo tempore, quo positus extra mentem asseritur, indutus fuit habitu monachali, cum alienatus non sentiat, ac per hoc non valeat consentire, præfatum presbyterum denunciatis ab observatione monastici ordinis absolutum, nisi postquam mentis suæ factus est compos, voluntate spontaneâ professionem fecerit monachalem. Datum Laterani.

NOTÆ.

1. (a) **T**ragurien. In hac sexta collectione, & in tertia, sub hoc tit. cap. 3. legitur, *Targilien.* sed inscriptionem, & litteram restituo ex ipso codice epistol. Innocentii III. Colonisæ edito,

ubi fol. 15. epistola hæc reperitur. Tragurium est insula in mari Adriatico, adiacens Dalmatia, in qua est civitas ejusdem nominis: ejus meminerunt Ptolomeus lib. 2. Plinius lib. 4. cap. 21. Olim habuit Ecclesiam Cathedralē, cujus Prælate in præsentem rescribit Innocentius.

(b) Progeni-

2. (b) *Progenitorum indigentis.*] Licet extrema necessitas parentum impediatur ingressum filii in Religionem, etiamsi votum emisit, ut cum D. Thoma 2. 2. *quest.* 189. *art.* 6. & *quæst.* 101. *art.* 4. & *quodlibet.* 10. *art.* 9. docent plures, quos referunt, & sequuntur Vecchis *disputat.* 2. *dub.* S. Villalobos *part.* 2. *tract.* 35. *difficult.* 7. *num.* 8. Sanchez *lib.* 4. *summa*, *cap.* 20. *num.* 3. Trullenc. *in Decal.* *cap.* 2. *dub.* 23. Peyrinis *de Prælat.* *quest.* 3. *cap.* 1. *num.* 70. Castropalao *de statu relig.* *tom.* 3. *disput.* 1. *punct.* 7. §. 5. Machado *lib.* 5. *p.* 1. *tract.* 1. *docum.* 8. Bonacina *disput.* 6. *de præcept.* *Decal.* *quest.* *unic.* *punct.* 5. *num.* 4. Barbosa *de iure ecclæs.* *libro* 1. *cap.* 4. à numero 20. tamen professio ab ipso emissâ, valida est, etsi contrarium teneant Peyrinis, & Portel. Potest tamen Prælati filio ita professo permittere, ut extra monasterium commoretur, ad sublevandam parentum necessitatem, ut probat Gibalinus *de clausur.* *disquis.* 2. *cap.* 2. §. 3. *consuet.* 4. Unde in præsentibus Innocentius insuper habuit egestatem parentum ad irritandam professionem à filio emissam.

COMMENTARIUM.

3. **F**uriosum, seu ex ægritudine mente alienatum, inhabilem, atque incapacem esse profitendi Religionem, certum est, *cap. Gonsalvus* 17. *quest.* 2. *cap. final. de success. ab intest.* *cap. inducie* 3. *quest.* 9. argumento legis *furiosum*, ff. *qui testamta*, l. *furiosi* 40. ff. *de R.* 1. Sanchez *lib.* 4. *in Decal.* *cap.* 1. *num.* 5. & *lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 53. Suarez *tom.* 3. *de relig.* *lib.* 5. *cap.* 4. Tambur. *lib.* 3. *de iure Abbat.* *disput.* 6. *quest.* 3. *num.* 2. Garcia *tom.* 1. *polit. regul.* *tract.* 1. *difficult.* 5. *dub.* 6. Nam cum professio Religionis peccat voluntatem plenam, & deliberatam, ut probavi *in cap.* 1. *de his que vi.* & fundat Ayendaño *de metu* *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 23. qui mente alienatus est, non potest eam emittere, ut in præsentibus Innocent. decrevit.
4. Sed tunc graviter obstat textus *in can.* 2. *Concil. Tolet.* 12. in illis verbis. [Etenim multos sæpe conpleximus, & in salute positos, ultimum desiderantes penitentia fructum, & rursus nimietate ægritudinis, ita loquendi, & sentiendi perdidisse naturale officium, ut nulla illis cura salutis suæ videretur inesse; nullo etiam pristinae devotionis noscerentur desiderio anhelare: quorum tamen casibus fraternitas condolens, ita talium necessitates in fide sua susceperit, ut ultimum illis tribuatur viaticum, quod scilicet sine fructu penitentia non videantur transire à seculo; si forsitan respiciente Deo salutis pristinae reformentur, agunt cautionibus vanis, & oppositionibus execrandis, qualiter à se tonsuræ venerabilis signum expellant, atque habitum religionis abiciant, impudentissimè asserentes, ideo se nullis regulis ecclesiasticæ disciplinae sub hoc voto teneri, quia penitentiam nec ipsi petierint, nec scientes acceperint. Quorum impudentia procax, & obstinata procacitas, nequaquam talia diceret, si qualiter ad vitam per sacrosancti lavacri gratiam venerint, meminissent. Etenim parvulorum infantium vita originali peccato obnoxia, quæ nulli per ætatem discernendi, vel expetendi sensui aptior iudicatur, nisi sponse fidelium baptismi accipiant sacramenta, nullo sensu, nullâ etiam discretionis industriâ id ap-

petere possunt. Unde sicut baptismum, qui nescientibus parvulis, sine ulla contentione in fide tantum proximorum accipitur; ita & penitentia donum, quod nescientibus illabitur, absque ulla repugnantia inviolabiliter hi, qui illud exceperint, observabunt. Si quis autem quolibet modo penitentiam accipiens, hoc synodale violaverit institutum, ut verè transgressor paternis regulis ferietur. Nec enim ista instituentes sacerdotes quosque, ut passim, & licenter donum penitentia non petentibus audeant prorogare, absolvimus; sed hos, qui qualibet forte penitentiam susceperint, ne ulterius admilitare cingulum redeant, religamus. Sacerdos tamen, qui non sentienti, nec petenti ausu temerario penitentiam dedit; neque se exhortatu ejus, qui penitentiam accipit, manu iudicii, vel quibuslibet aliis evidentibus significationibus invitatum fuisse probaverit, unius anni excommunicationis sententia subiacet.] Ex quibus expressè deducitur, mente alienatum ob ægritudinis gravitatem, habitum monachalem recipientem, debere in ipso monasterio perseverare, si postea convalescit; igitur & in præsentibus casu, licet clericus extra se positus habitum induisset monachalem, cogendus erat in eo perseverare. Hujus Concilii Toletani historiam referens Baronius anno 680. *num.* 64. tradit, in Hispaniarum Ecclesiis tunc temporis viguisse consuetudinem, ut urgente ægritudine, cum se quis proximorum morti putaret, penitentiam peteret, quam etiamsi mente alienatus ab Episcopo accepisset, ulterius ad seculum reverti ipsi non licebat; sed tenebatur in monasterio permanere, etiamsi habitum minimè petisset, sed nesciens accepisset; & ita canonem illum juxta prædictum morem esse exaudiendum docet. Sed pro vera hujus canonis expositione dicendum est, in eo non agi de monacho, nec de habitu monachali: tantum enim agunt Patres de penitentia solenni, & ægrotum illum accipiente ab Episcopo, vel Presbytero. Quod ut facilius agnoscat, primò notandum est, olim penitentiam solennem plerumque suscipi urgente mortis periculo. Leo Magnus *epist.* 92. *cap.* 12. *Concil. Gerund.* *can.* 9. *Tolet.* 6. *can.* 7. & 8. *Tolet.* 13. *can.* 10. Hinc subinde factum, ut plerique in morte penitentia habitum assumerent; & quia ille maximè ciliicum erat, in illo mori vellent. Petrus Venerabilis *lib.* 1. *miracul.* *cap.* 4. Author vitæ S. Eripii Waspingensis Episcopi ejus obitum sic describit: *Nudato corpore ante altare sancti Eusebii in ciliicio, & cinere jacens, viaticum corporis, & sanguinis Christi de manu ipsius Episcopi accepit.* Unde posterioribus seculis mos invaluit petendi vestem religiosam in exitu vitæ, ut decedentes cum ea sepelirentur. Deinde sciendum est, inter alios ritus receptos, & usitatos in susceptione penitentia solennis, duos præcipuè fuisse adhibitos. Primum circa mutationem vestis; proficentes enim statum penitentia solennis, habitum religiosum induebant, *Concil. Agath.* *can.* 15. *Concil. Tolet.* *can.* 12. *Concil. Tolet.* 6. *can.* 7. ibi: *Si qui ingenitorum utriusque sexus sub nomine penitentis in habitu religioso sunt conversati, post hæc autem comam nutrientes, vel vestimenta secularia sumentes, ad id, quod reliquerant, redierunt;* &c. Probat Gibalinus *de clausur.* *regul.* *disquisit.* 3. *cap.* 2. §. 8. *num.* 46. ubi asserit, vestem hanc distinctam fuisse à secu-

Jari materia, quæ vilis erat colore, qui luctum, & pœnitentiam designaret; & formâ, quæ modestiam omnino probaret. Secundum circa attonfionem coma: Concil. Agath. *dist. can. 15.* Tolet. 3. *can. 12.* & Tolet. 6. *can. 7.* Carolus Magnus *lib. Capitul. cap. 52.* Gregorius Turon. *lib. 6. hist. cap. 28.* ubi de quodam Marco referendario ita ait: *Subito lateris dolore detentus, caput cotondit, atque pœnitentiam accipiens, spiritum exhalavit.* Cujus rationem assignavit, & illustravit Gibalinus ubi præ, *num. 47.* Quibus ita animadvertis, apparet jam verus sensus dicti canonis 2. in ejus enim summario ita legitur: *De his, qui pœnitentiam non sentientes accipiunt.* Unde aperte constat, in eo canone agi de illis, qui agnitudine oppressi ultimum desiderantes pœnitentiæ fructum, nimietate agnitudinis ita loquendi, & sentiendi perdidere naturale officium, ut nulla illis cura salutis propriæ videretur inesse: qui si attonsi fuerint, & habitum pœnitentiæ susceperint, cui postea convaluerint, statum illum deserere non possunt, sed pœnitentiæ solennis tempus explere debent: non tamen illi inde fiebant religiosi; nam status pœnitentiæ solennis non erat monasticus, ut probavimus supra *in cap. 1.* Unde cum de ipso fructu pœnitentiæ capessendo Patres agerent, rectè argumentum deducunt à baptismo; ita ut sicut in eo virtute promissionis parentum infantes religionem catholicam profitentur, & postea eam servate tenentur; ita etiam pœnitentes solennes, quia cum perfecta mente essent, fructum pœnitentiæ appetentes illam efflagitarunt, licet postea mente alienati eam susceperint, peragere coguntur per tempus legitimum, id est à sacris canonibus prescriptum. Sed quia ex hujusmodi pœnitentiæ susceptione improbi exitus sequebantur, in fine canonis statuunt PP. ne Sacerdotes donum pœnitentiæ non petentibus audeant dare.

Ex proximè traditis exponendus est canon 1. ipsius Concilii Tolet. 12. in cujus calce refertur, & approbatur celebre factum Wambæ Regis Gothorum, quod etiam narrat Baronius anno 680. Hispani historici Luitprandus in *advers. num. 133.* Bævus in *chron. anno 681.* Salmaticens. in *chron. Ervigii.* Jul. Tolet. in *hist. Wambæ,* Rodericus Tolet. *de rebus Hispaniæ lib. 3. cap. 12.* Alphonfus Carthag. in *Reg. Hist. anaceph. cap. 39.* Marius Siculus *libro 6.* Franc. Tarraca *de Reg. Hispan. anno 674.* Roder. Sanctius *hist. Hispan. part. 2. cap. 32.* Chron. Regis Alphonfi *cap. 51.* Mariana *lib. 6. hist. Hispan. cap. 14.* Sahabedra in *chron. Goth. cap. 76.* Anno enim 680. cum Rex Wambæ repente naturali agnitudine, seu ut alii volunt, potione illi datâ herbæ, quam vulgo dicimus *Esparro,* mente alienatus omnino fuisset, Episcopus Palentinus, Optimatesque Regni Regi ipsi fideles, cum viderent eum semivivum jacentem, pietate commoti, & volentes pœnitentiam illi proficere, attonso ca-

pite habitum religiosum induerunt; sed cum Rex paulùm ad se reversus agnovisset, se attonso capite, & habitu suscepto jacere, Ervigium successorem in Regno designavit; jubens Juliano Toletano Præsuli, ut ipsum in Regem Gothorum ungeret, eligens Regno cedere potius quàm sibi inscienti habitum impositum exuere. Superata ergo potionis vi memorabili exemplo maluit diadema deponere, quàm habitum exuere: quare perrexit ad monasterium oppidi de Pampligua, dioc. Burgenfis; & postea translatus ad monasterium de Arlanca, post septem annos vitam immaculatam finivit: quod factum approbavit Ervigius suâ lege speciali, atque laudarunt Patres in *dist. can. 1.* Atque, ni fallor, in ejus confirmationem canonem secundum ediderunt, qui ideo non est facile imitandus, aut sequendus. In qua facti narratione historici confundunt habitum Wambæ mente alienata indutum, cum habitu monachali à se postea suscepto in monasterio Pampligua; cum juxta supra tradita habitus ab Episcopo Palentino illi impositus, tantum esset habitus pœnitentiæ. Postea tamen ipse pius Rex, summa pietatis specimen edens, habitum monasticum sancti Benedicti in prædicto monasterio assumpsit, quem Episcopus illi dare non poterat; & ita nullo modo factum ipsius Episcopi, & Magnatum accipias de tonsura monasticâ, seu habitu monachali, sed de pœnitentiæ impositione, aliàs frustra Rex ad se reversus eundem habitum assumeret in prædicto cenobio. Non me latet illis etiam temporibus moris fuisse, moribundos monasticâ induere cucullâ, in qua ultimum exhalarant spiritum, & sepulture traderentur, ut de Emanuele Commeno Imperatore Orientis refert Nicetas Coniates *lib. 7. annal.* In hæc verba: *Imperator morbo correptus, admotâ ad arteriam manu, & pulsu perterritus, cum alto spiritu femur percussit, & monasticum habitum posculavit. Quo dicto cum, ut fieri solet, tumultus esset ortus, ministri spirituales vestem nigro panno, omnis ornatus expertem, nescio ubi nacti mollibus & regis vestibus detractis, & aspero illo divina vite indumento in spiritualem illum convertunt militem, & galea illum, thoraceque, in insigniorem ornatum, in caelestis Imperatoris catalogum referunt. Sic igitur vita, & imperio cedit.* De Theodoro Laferati Junioris scripsit Nicephorus Gregoras *lib. 3. hist.* eum annum agentem ætatis sextum & trigessimum, cum molestus, ac difficilis, & lethalis morbus invalisset, paulò ante mortem alacriter habitum monasticum induisse. Et de Andronico juniore refert idem *lib. 9.* quod cum gravissimis doloribus cruciaretur, & mente alienaretur, atque id malum omnem medicorum artem superaret, & de vita illius postredie actum videretur, jurejurando adstantes adegisse, ut sibi monasticam cucullam induerent prius quàm vitâ excessisset.

CAPUT XVI.

Idem (a) *Pisan. Archiep.*

AD Apostolicam Sedem, quæ disponente Domino, cunctorum fidelium est ma-
gistra, super diversis articulis quæstiones dubiæ referuntur: ut quod ab ea fuerit
super earum solutione responsum, indubitanter ab omnibus teneatur. Ex parte siqui-
dem tua nuper suscepimus quæstiones, quod cum monachum fieri ante unius anni pro-
bationem regularis (b) institutio interdicit; monachi, & moniales in tua diocesi con-
stituti, tam clericos, quam laicos utriusque sexus, sanos pariter, & infirmos religionis ha-
bitum volentes assumere, nutu (c) etiam aliquo profitescentes, interdum absque omni pro-
fessione recipiunt, quandoque professionem illico facientes, unde multa mala noscuntur
sepius provenire: cum (d) infirmi ad monasterium jam translati, & emissa professione,
postquam de infirmitatibus convaluerint, habitum religionis abijciant, & ad propria
revertantur. Contingit etiam tales in propriis domibus remanere, cum monachi per
eos dum vivunt, nolint sua monasteria prægravari. Sani etiam sic absque probatione
recepti retrò aspicientes, matrimonia contrahunt, rejecto habitu regulari: de quibus si
habitum religionis assument ante unius anni probationem, vel temporis competentis,
utrum factâ professione à talibus, vel omisâ, monachi debeant reputari: & si (e) con-
jugatus converti desiderans, sit recipiendus in monachum, nisi uxor perpetuam con-
tinentiam repromittat, certificari à Sede Apostolica postulasti. Nos ergo quæstioni-
bus tuis taliter ex ordine respondemus, quod licet tempus probationis à sanctis Pa-
tribus sit indultum non solum in favorem conversi, sed etiam monasterii, ut &
ille asperitates istius, & istud mores illius valeat experiri; quod utinque dili-
genter est observandum, præsertim cum ab utroque de reliquo certa notitia non habetur:
quia tamen ante tempus probationis regulariter præfinitum, is qui converti desiderat,
habitum recipit, & professionem emittit, Abbate per se, vel per alium pro-
fessionem recipiente monasticam, & monachalem habitum concedente, uterque
renunciare videtur ei, quod pro se noscitur introductum: ideoque obligatur
per professionem emissam, pariter & acceptam, ad observantiam regularem, &
verè monachus est censendus: quia multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint,
obtinent firmitatem. Prohibendum est tamen Abbatibus, ne passim ante tem-
pus probationis quoslibet ad professionem recipiant: & si contra formam præscriptam
quoslibet indiscretè receperint, (f) animadversione sunt debitâ corrigendi: cum in
subsidiis fragilitatis humanæ spatium probationis sit regulariter institutum. Cum au-
tem vir & uxor una caro sint per copulam conjugalem effecti, nec una pars converti
possit ad Dominum, & altera in seculum remanere, profectò non est alter conjugum
recipiendus ad observantiam regularem, nisi relictus perpetuam continentiam repro-
mittat: vitam quoque debet mutare, nisi fortè ejus sit ætatis, ut sine suspitione incontinentiæ
valeat remanere. Datum Lateran. IX. Kal. Decembris.

NOTÆ.

- i. (a) *Pisano.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 2.* & in Regestro epistoliarum Innocentii Coloniae edito, ubi *fol. 225.* reperitur textus hic prout in præfenti transcribitur. Ubaldo Pisano Præsuli in præfenti rescribit Pontifex, de quo egi in *cap. cum quidam 12. de jurejur.* De Ecclesia Pisana nonnulla notavi in *cap. 8. de tempor. ordin.*
- (b) *Regularis institutio.*] Apud varias religiones statuta, ut infra probabimus.
- (c) *Nutu etiam.*] Cum Professio fieri debeat expressis verbis, immò & scripturâ confectâ, ut probavi supra in *cap. vidua.*
- (d) *Infirmis.*] Circa quos valdè dubium est, utrum post constitutionem Concilii Trident.

sess. 25. de regul. c. 25. possint durante probatio-
nis anno solemnem professionem emittere in ipsâ
religione? Et circa ipsos novitios ex privilegio
concesso à Pio 5. Fratribus Prædicatoribus Ordi-
nis sancti Dominici, aliis Religionibus com-
municato, certum est illis ultimo languore
depressis professionem posse dari, saltem ad
lucrandam indulgentiam, ut docent plures relati à
Barbosa in *præsenti, num. 4.* Lezana *tom. 1. c. 24.*
num. 42. & cap. 25. num. 39. Diana *p. 3. tract. 2.*
resol. 17. & p. 5. tract. 3. resol. 139. Hierony-
mus Gartiap. *1. polit. regul. tract. 2. difficult. 5.*
dub. 2. punct. 3. Circa seculares verò, qui ulti-
mo languore depressi, in propriis domibus, &
lectulis habitum suscipiunt regularem, an illis
in ultimo vitæ spiritu professio dari possit; dis-
putat latè Hieronymus Garcia *ubi proxime, &*
funda

fundamentis pro utraque sententia adductis iudicium suum proferre anceps noluit, & potius negativæ sententiæ adherere videtur; & in re adeo gravi potius optarem à Romana Sede quæstionem decidi, quàm ex opinionibus Interpretum resolutionem querere: piè tamen facere eos, qui in habitu monastico decedere cupiunt, in eoque sepeliri, probat, & miris exemplis illustra Haæphtenus *lib. 5. disquisit. tract. 7. disquisit. 2.* contra Erasimum, qui hanc religiosam ceremoniam ut superstitiosam fugillat.

(e) *Epist. conjugatus.* Hæc secunda pars epistolæ reperitur in *cap. ad Apostolicam, de convers. conjug.* ubi eam exponemus.

(f) *Animadversio.* Quia his temporibus Innocentii III. professio durante probationis tempore valida erat, licet injultè data; unde Abbas, qui eam acceptavit, puniendus erat, *cap. constitutionem, hoc tit. in 6.* Hodie tamen post Concilium Tridentinum, cum professio infra annum probationis emissã nulla sit ipso jure; ideo Prælatum pendente anno probationis professionem de factò concedentem puniendum non esse pœnis statutis in *dist. cap. constitutionem*, docuerunt Peyrinus *de Prælato quest. 3. cap. 1. §. 4. num. 98.* Sanchez *in Decal. lib. 5. cap. 4. num. 10.* Lessius *lib. 2. de justitia, cap. 41. dub. 7. num. 59.* Vecchis *dist. cap. 11. dub. 6.* Tambur. *tom. 1. de jure Abbat. disputat. 16. quest. 7. num. 14.* Garcia ubi *suprà.*

COMMENTARIUM.

DE habitu & loco, in quibus probandi sunt novitii, jam egi *suprà in cap. super eo 9.* De tempore ipsius probationis agit Innocentius in præfenti: pro cujus expositione sciendum est, novitiatu, seu probationis tempus, ut appellatur in *cap. super 51. de testibus*, à sacris canonibus esse statutum, ut novitius disciplinam, & vitam monasticam experiri possit, & monasterium ipsius mores, indolemque agnoscere valeat; an videlicet idoneus futurus sit, fratrumque indissolubili consortio aggregari expediat. Accedit, quia hominem à laxiore vitæ ratione statim ad strictiorem, arctamque morum disciplinam transire sine medio, non carere periculo prodit D. Basilius in *quest. 10. fusè; disputat pulchrè P. Blesensis epist. 13. ibi: Novitiorum claustralium mentes adhuc desideriorum carnalium humoribus gravide, & tumentes non acceptantur in sacrificio Domini, nisi prius igne tribulationis torveantur; nec paleas priorum deponunt affectum, nisi per laborem, & abstinentiam confringantur.* Facit Horatius in arte poetica.

*Versati diu quid ferre reculent
Quid valeant humeri.*

Unde in Religionibus valde necessariam esse probationem, optimè docet D. Bernardinus Senensis *tom. 2. serm. 24. artic. 2. cap. 1. ibi: Experientia teste quidam ad religionem venientes, in principio videntur agni, & modico elapso tempore sunt lupi.* Non sine magna experientia, & Dei lumine regulæ sanctorum Patrum prudentissimè statuerunt, quod ad Religionem venientes antea probarentur, an ad talem Religionem apti sint, & idonei? Quis enim ædificator domus, vel navis materialis, non soletter, & providè perferatur ligna, & lapides; & diu cum multis scissuris, & unguibus parat, antequam in

D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. III. Pars II.

ædificio ponantur: nec ad hoc quoscunque accipit, sed solum solidos, & suo artificio aptos: quod magis in spirituali Religionum ædificio hoc servari necesse est? Latius utilitates hujus probationis prosequuntur Galletus *in opuscul. Relig. cap. 5.* Gazeus *ad Cassianum lib. 4. instit. c. 3.* Wadingus *ad opuscul. D. Francisci, cap. 20. n. 10.* Circa tempus autem hujus probationis, non tam adversæ, quàm diversæ reperiuntur Ecclesiæ constitutiones, & ipsarum Religionum leges. Primò enim tempus probationis antiquis videtur fuisse arbitrarium, & Abbatis iudicio relinqui, an citius, vel tardius novitius ad professionem admittetur, ut colligitur ex D. Basilio *in regul. fustori, cap. 10.* & insinuare videtur Sanctus Ephrem, dum *tom. 2. parenesi 17.* docet ex novitiatu aptiores ad professionem certo tempore admitti, relictis in sequentem annum minus idoneis. S. Fructuosus Archiep. *cap. 20.* Quod si quilibet conversus bonis, ac puris moribus enitens, Abbatis, & aliorum fratrum spiritualium fuerit iudicio comprobatus, pro merito & purificatione suæ conscientie celerius poterit fratrum consortio misceri. Casarius Arelat. *cap. 3. Annum integrum in eo, quo venit habitu, perseveret; de ipso tamen habitu mutando sit in potestate Prioris, & quomodo personam, vel compunctionem viderit, ita vel celerius, vel tardius studeat temperare.* Eslenus verò primos monachos, vel monachorum prodromos, Josephus refert *de bello judaico cap. 7.* per triennium novitios probasse, ibi: *Per annum integrum extrinsecus commoranti victum tribuunt. Post ostensionem autem conscientia duobus annis alios mores ejus probantur. Cumque dignus apparuerit, tunc demum in consortium assumitur.* Tabennensiotæ ex regula Sancti Pachonii ab Angelis tradita, ut refert Palladius *in Lausica, cap. 38.* tribus annis novitios probant, ibi: *Porrò quis semel ingreditur, nec potest cum eis ad triennium sustinere certamen, non admittes, sed cum opera fecerit difficiliora, sic prodeat in stadium post triennium.* Quibus consonant textus in *cap. unic. 53. dist. cap. si quis incognitus 17. quest. 4.* Justinianus in *novel. 5. collat. 1. & in l. servis, §. verum, C. de Episcop. & cleric.* Synodus Constantinopol. *2. can. 5. Aurel. 5. can. 19.* Plerumque tamen, & frequentius post anni probationem novitii admittebantur. Casianus *lib. 4. instit. cap. 7. ibi: Susceptum, cum integro anno suum circa peregrinos exhibuerint famulatum, imbutum per hoc prima institutione humilitatis, ac patientie atque in ea longa exercitatione præcognitum admisceri congregationi fratrum.* Quam probationem per anni circulum statuit D. Benedictus, ut patet ex ipsius regula, & refert Alex. II. in *cap. Gonsaldus 17. quest. 2. ibi: B. Benedicti regula, & præcipue patris, & prædecessoris nostri S. Gregorii canonica institutio interdicit monachum ante unius anni probationem effici.* Idem præscriperunt spatium S. Casarius *cap. 5. Ferreolus cap. 5. sue regula, S. Fructuosus Archiepiscopus cap. 21. Fructuosus alter c. 18. Terentat regula ibi: Et nisi expleto anno nullus mutare habitum permittatur.* Quod etiam ab omnibus Ordinibus Mendicantibus servandum Bonifacius VIII. decrevit in *cap. constitutionem, hoc tit. in 6.* & Gregorius IX. firmavit in bulla Ministro, & Fratribus Minorum missa, quam refert Wadingus *annal. Minor. anno 10. num. 109.* notavit Menardus *ad concord. regul. cap. 65.*

Hoc tamen tempus probationis non erat adeo diligenter servandum, ut laxari, aut restringi nequiret, juxta mores, & devotionem ipsius novitii: unde D. Gregorius dum accepisset, nonnullos monachos parum religiosè viventes, ad biennium probationem ipsorum protraxit, ut refertur in cap. *monasteriis* 19. *questi. 3.* & è contrario ferventiori novitio anni probationem relaxari posse statuerunt S. Fructuosus cap. 21. *sua regula*, ibi: *Quod si quilibet conversus, bonus, ac puris moribus emens, Abbas, vel aliorum fratrum spiritualium fuerit iudicio comprobatus, pro merito, & puritate sue conscientie celerius poterit fratrum consortiis misceri, secundum quod Abbas, vel fratrum optimorum censuerit deliberatio faciendum.* Sic ille. Idem permittit regula S. Ferreoli cap. 5. *Si quis*, inquit, *veniat Religionem expetens monasterium intraturus, nisi anni circulus, vel certè si Abbatì visum fuerit aliquantulum temperare, antequam sex menses dierum numero compleantur, in chorum contubernio non jungatur.* Similiter regula Ternatensis cap. 21. ibi: *Nisi expleto anno nullus mutare habitum permittatur, si petentis tanta fuerit compunctio, si hoc sibi supplicatione assiduè exorat non negari, quod uni fideliter poscenti conceditur, non quasi licitum habeatur.* Celerius quoque Arelatensis, contrahi & extendi novitiatu tempus permittit cap. 3. sic: *Vni ex senioribus tradita, annum integrum in eo quo venit habitu, perfoveret. De ipso tamen habitu mutando, vel lecto in schola habendo sit in potestate Prioris, & quomodo personam, vel compunctionem viderit, ita vel celerius, vel tardius*

studeat imperare. Sed tempus hoc non erat simpliciter necessarium, sed tantum sub ea conditione, nisi novitius, & Religio renuntiarent: unde professio emissa pendente tempore probationis, valida erat. *capite constitutionem, hoc titul. in 6. ibi: Professio expressio, vel tacite fieri potest licite intra annum.* Quo modo accipiendus est textus in cap. *officii, de elect.* Sed hoc totum abrogatum est constitutione Concilii Trident. *sess. 25. de regul. cap. 15.* ubi cavetur: ut in quacunque religione, tam virorum, quam mulierum, nullus ad professionem admittatur, si minori tempore quam per annum in probatione perstiterit: professio autem antea facta nulla sit, nullumque habeat juris effectum. Unde hodie nulla admittitur hujus anni probationis laxatio, seu renunciatio. Plura pro ipsius capitis illustratione adduxerunt Sanchez *lib. 5. summa, cap. 4. num. 19.* Suarez *tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 12.* Castropalao *tom. 3. dispnt. 1. de statu relig. punct. 2. §. 1.* Basil. *de matrim. lib. 9. cap. 9. num. 6.* Diana *part. 3. tract. 2. resol. 57. & part. 5. tract. 5. resol. 18.* Lezana *tom. 4. verbo Professio, Zypæus ad hunc tit. respons. 3.* Hieronymus Garcia *tom. 1. polit. tract. 2. difficult. per tot.* qui varios casus in utroque foro resolvit. Et an per annum probationis necessariò debeat novitius desere habitum monasticum, & habitare intra claustra monasterii, latè examinat Gibalinus *de clausura dispnt. 2. cap. 2. §. 3. ex num. 61.* Et an de momento ad momentum annus computari debeat, ita ut non admittatur parvitas materia, nec per horam, noviter & fusè disputat Narbona in *Horograph. hora 1. n. 49.*

CAPUT XVII.

Idem (a) *Acconen. Episcopo,*

Sicut nobis ex parte tua propositum, quidam clericus, cum ægritudine nimia laboraret, quasi de morte securus, & de recuperanda sospitate desperans, habitum canonicorum regularium petiit, & accepit, ea in susceptione habitus exprimens, ac promittens, quæ solent in hujusmodi repromitti: sed nec ad Ecclesiam transit, utpote infirmitate gravatus; nec bonis suis uti cessavit. Postmodum verò sospitate receptâ post xv. annos, & ultra, videntibus, & scientibus venerabili fratre nostro Archiepiscopo, & dilecto filio Priore, & Canonicis Ecclesiæ (b) Nazaren. à quibus habitum susceperat regularem; tu, licet eo tempore, quo habitum susceperat, in Ecclesia Nazaren. Prioris sollicitudinem exerceres, immemor eorum, quæ facta fuerant circa ipsum, in Acconen. cum Canonicum susceperat. Quia verò quid super hoc facere debeas, per nostras expositas literas edoceri, fraternitati tuæ duximus respondendum, quod si regularem habitum se postulante susceperat, & ad observationem religionis (c) canonicæ suæ se professione ligavit, ad resumendum habitum ecclesiasticum est districtione cogendus; cum quod tanto tempore extra Canonicam manserit, non in excusationem ejus, sed in majoris transgressionis augmentum merito valeat allegari. Dat. Later. x. Kalend. Januar.

NOTÆ.

- (a) *Acconen.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, sub hoc titulo, cap. 3. & in epistolis Innoc. Coloniz editis, fol. 245. ex quo registro restituo literam hujus textus. De Acconensi dicecesi jam nonnulla notavi in cap. finali, de sepulchris.
- (b) *Nazaren.*] *Nazareth.* legendum est. Na-

zareth pulchra quondam, & florens Galliz civitas, Christi Domini in primis conceptione, educatione, ejusque matris B. Virginis Mariæ habitatione clarissima, omni hodie ornatu, & cultu destituta, ac suis penè ruinis sepulta, vix humilem, & abjectum refert pagum. Præter collapsas enim domos, arcus, murosque ve-

tustos, ac viles aliquot domunculas, Maurorum habitacula, nihil est quod cernas. Haec in foveis structa, intus, & foris lapidibus sine calce temere sepiuntur. Situm tamen habet pulcherrimum & amoenissimum, posita in colle montis cultissimi, & nitidissimi, ut refert Joann. Cotovicus in *itiner. Hierosolym. lib. 3. cap. 6.* Habuit olim Canonicos regulares sub B. Augustini regula, & habitu degenres, ut tradit Pennotus *lib. 2. hist. canonic. regul. cap. 41. num. 4.*

(c) *Religionis canonice.* Ex his verbis facile constat, Canonicos regulares verè esse religiosos; quod & larè probat Pennotus *lib. 1. hist. canonic. regul. serè per tot. & nos dicemus in cap. 5. de stat. monach.*

COMMENTARIUM.

4. **EX** præsentis textu sequens communiter deducitur assertio: *Qui adversa valetudine capiens, etiam de salute desperans professionem emisit in aliqua Religione, in ea permanere cogitur.* Probat eam textus in *cap. ex transmissa, cap. quoad translationem, de renunc. capite porrectum, capite sicut, capite ad Apostolicam, hoc tituli, capite literaturam, de voto.* Petrus Damianus *opusc. 16.* ubi gravissimè invehitur in Maurum Episcopum, eo quod ausus fuit asserere, eum qui in agitudine positus habitum monasticum suscepit; si convalescit, posse ad seculum redire. Probatque ex sacris Canonibus, & Toletano Concilio, non deferri sine peccato, quod sponte semel susceptum est; & ita concludit: *Ecce juxta Galefiani decreti sententiam, quacunque occasione, etiamsi nulla interveniat mora probationis, quisquis religioso habitu semel induitur, funditus sibi redonandi ad seculum licentia denegatur.* Et *cap. 6. ibi: Aegrotos pariter, & incolumes eadem regula comprehendit, que non solum voluntariè, sed etiam involenter conversos, nullo etiam deceptoris machinationibus persuasos, in eodem proposito perseverare decernit.* Illustrant ultra laudatos in præsentis à Barbofa, Suarez *tom. 2. de relig. lib. 1. de essentia voti, cap. 7. & 8. & tom. 3. libro 6. cap. 4. Avendaño de metu lib. 2. cap. 21. num. 42. Basilii de matrim. cap. 29. num. 4. Thom. Sanchez in Decal. lib. 4. cap. 3. num. 4. Lugo de iustitia tom. 2. de contract. ingen. disputat. 22. sect. 7. num. 113. Balboa in præsentis, num. 7. de probat. D. Antonius Feloga in *cap. 1. de his que vi, in var. decid. ex num. 44.**

5. **Sed** pro dubitandi ratione in hanc assertionem ita insurgo: *Votum ex se petit voluntatem, atque voluntariam deliberationem, ut probat P. Suarez dict. lib. 1. de voto, cap. 7.* unde necessariò debet intervenire voventis libertas: sed hæc deliberatio deest in ægroto ultimo languore depresso, iminè voluntaria redditur, quia nisi infirmus agitudine urgetur, votum non amitteret; potius enim de salute cogitans vovit, ut eam recuperaret, & ad seculum rediret, quam ut adimpleret promissum: igitur cum deficiat deliberatio voluntaria, ad essentiam voti necessaria, in præsentis casu professio nullius momenti est. Augetur hac dubitandi ratio, nam ut infirmus actus humani propter metum, parum refert à quovis adhibeatur, dummodo is in

tercedat, *l. non interest, C. de his que vi: sed notum est, infirmitatem per se metum incutere, S. Leo sermone de passione Domini. ibi: Non enim posset Domino servus, & Magistro major esse discipulus, qui humane fragilitatis trepidationem non vinceret, nisi victor mortis ante timuisset.* Ergo licet in præsentis casu metus ab alio non incutiatur, cum tamen verè adsit, professio, nulla redditur. Facit argumentum, quod deducitur *ex l. 2. §. final. l. qui levande. ff. ad l. Rhodiam de jactu, ubi docetur, quod si dominus levande navis gratià, dum navis vento, & crispantibus undis jactatur, merces in mari projiciat, proprietatem earum non amittit, quia non animo derelinquendi jactavit.* Igitur similiter, cum ægroto languore depresso, antea vitæ memorià deterius, votum, aut professionem emittit, non creditur dominium sui ipsius alienasse, si convalescit.

6. **Quà** difficultate non obitante vera est præsentis decisio, pro cuius expositione sciendum est, quod licet voluntas coacta, voluntas sit, ut ex metu probavi in *cap. 1. de his que vi, quia propositum voluntatis nunquam potest esse omnino coactum, juxta D. Thom. 1. 2. quest. 6.* tamen interdum per coactionem quandam mortalem, que homini fieri solet per infirmitatem alicujus mali, vel ejus comminationem, ut illius vitandi causà vovendam, seu profitendum in aliqua religione inducatur, minuit voluntas; quia homo ratione illius vult, quod alias nolit, si libet esset à tali metu. Unde circa votum emissum ex simili vi, aut metu, sequentes casus distinguendi sunt. Primus est quando vis gravis infligitur directè ad extorquendum votum; quo casu constans est principium, votum non valere, *capite non est 15. quest. 1. capite præsentis 20. quest. 3. capite puella 20. quest. 1. capite si quid 14. quest. 5. cap. ultim. §. ex his 23. quest. 6. Trident. sess. 25. de regul. cap. 19. latè probant pluribus relatis Avendaño de metu lib. 2. cap. 10. à mem. 16. Valenzuela consil. 142. num. 7. Stephanus Durant. 99. juris quest. 4. Feloga in dict. cap. 1. ratiocin. ultim. num. 2. & 3. qui latè, & doctè prosequuntur alios casus, in quibus ex metu non ita gravi, aut reverentia voti emittitur. Secundus casus est, cum votum fit propter metum proveniente ex naturalibus causis, veluti ex gravi morbo, ex naufragii periculo, & similibus; quo casu certum est, votum factum ex quocunque metu proveniente à causâ naturali, etiamsi gravissimus sit, non obstare quominus validum sit, obligetque ipsum voventem, ut docent cum D. Thoma prima secunda, quest. 6. artic. 6. Theologi supra relati, Suarez dict. lib. 1. de essentia voti, capite 7. Deinde sciendum est, infirmitatem corporis per se non includere dementiam, vel mentem non sanam, *l. senium. C. qui testamenta, l. 2. l. in adversa, ff. eodem tituli, cum quis possit corpore esse languens, & infirmitate opprimi, mente tamen sanus: quare ita languore depresso potest testamentum, & alios actus legitime facere, licet proximus morti sit, mortisque cogitatione turberetur, l. hac, §. ac cum humana, Cod. de testam. etiam in extremis constitutus sit, l. Seja, §. final. ff. de donat. causa mort. licet ejus confessioni non steterit in alterius præjudicium, l. 3. §. 1. ad Syllan. l. 4. ff. de iust. l. 39. ff. de pignor. l. 28. ff. ad Vellejanum.**

Hunnus ad *Trentl. disputat. 31. thesi 5. quest. 45. num. 6.*

7.
Traditur
ratio de-
cisionis.

Unde jam apparet vera ratio presentis assertio-
nis; nam quoties metus non est incusus gratiâ ex-
torquendi votum, sive proveniat à causa naturali,
sive libera, quantumvis gravissimus sit, non irritat
votum, quia tunc à nemine impellitur vovens ad vo-
tum emittendum, sed sponte sua vovendi medium
elegit: nam ille dicitur simpliciter, absoluteque
velle, qui actu absoluto, & efficaci aliquid eligit hîc,
& nunc, ut illud sua voluntate faciat, etiam simul
habeat simplicem displicentiam, quâ nollet id face-
re, si absque illo incommodo posset: ita verò se
habet, qui ex timore alicujus mali vult vivere; eli-
git enim hîc, & nunc hoc medium, tanquam sibi
conveniens, vel necessarium ad finem vitandi ma-
lum. Hoc autem nihil impedit ad valorem voti;
quia nec intentio illius finis reddit materiam illius
voti malam; ut per se notum est; nec etiam exclu-
dit, quin illa electio sit per actum proveniente ab
intrinsico appetitu, cum perfecta cognitione, &
judicio omnium circumstantiarum occurrentium;
in quo consistit, actum illum esse simpliciter vo-
luntarium; unde constituit hominem simpliciter,
& absolute volentem: nam voluntas coacta, volun-
tas est, *l. si mulier, §. penult. ff. quod metus causa.*
Est denique actus ille liber, quia non obstante me-
tu posset non fieri; unde confirmatur: nam si actus
esset de se malus, libertas illa ad peccandum morta-
liter sufficeret: ergo voluntas metu extorta sufficit
ad obligandum Deo per votum; nam eadem est
utrobique ratio, quam de peccatis attingit Augusti-
nus in *cap. merito 15. quest. 1. & quest. 24. in Nu-
mer.* dicens: *Peccata per metum commissa, non es-
se peccata volentium, sed volentium*, quia licet si
peccans aliàs nollet peccare, quia peccatum se-
cundum se, ac simpliciter spectatum illi displicet;
tamen hîc, & nunc liberè vult peccatum, ut medi-
um utile ad vitandum malum, quod metu immi-
net. Hæc autem ratio æquè de voto procedit; nam
voluntas, quæ sufficit ad obligandum hominem
diabolo, sufficit ad obligandum Deo.

8.
Dissolvi-
tur du-
bitandi
ratio.

Nec obstat dubitandi ratio suprâ adducta; nam
ut jam probavi, urgente ægritudine plena, & recta
deliberatio dari potest, sufficiens ad votum emit-
tendum, sicut ad alios actus humanos; & licet ita
ærotus aliàs nisi infirmitate impellente forsan non
voveret, tamen causa finalis fuit salus animæ, licet
impulsiva esset infirmitas corporis, metusque inde
proveniens; qui cum intrinsicè infligatur à causa
naturali, etiam si gravissimus sit, non obstat quo-
minus votum illâ occasione emissum valeat, & ob-
liget argumento textus in *l. si mulier 21. ff. de eo
quod metus*; ubi si mulier contra patronum suum
ingrata facta, sciens se ingratam, cum de suo statu

periclitabatur, aliquid patrono dederit, vel promi-
serit, ne in servitutem redigatur, cessat edictum;
quia hunc sibi metum ipsa infert: observat Glos-
sa ibi, *verbo Quia*, & latius prosequitur Cardinalis
Lugo de *justitia & jure tom. 2. de contrâ. in gener.
disput. 22. sect. 7. num. 156.* Nec obstat argumen-
tum deductum ab exemplo ejus, qui levandæ na-
vis gratiâ res suas projecit in mare; ejus enim longè
dispar est ratio. Nam qui levandæ onusta navis
gratiâ res projecit, non habet animum ipsas abso-
lutè derelinquendi, nec ut amitteret, abjecit, sed ut
medius inter metum, & spem, cujus affinem con-
trarietatem eleganter depinxit Ant. Muretus *lib.
12. var. lect. cap. 6.* navim levaret, ne tempestate de-
pressa absorberetur, statim ac posset eâ cessante con-
quisiturus, & recuperaturus, ut expressere Con-
sulti in suprâ citatis juribus: qui verò ægritudine
oppressus votum emisit, totum se Deo obtulit, nun-
quam ad seculum rediturus, etiam si convalescit;
unde ex fine ipsius voci animum sese ipsum dere-
linquendi, ac nunquam recuperandi habuisse, no-
tissima præsumptio est, juxta Ulpianum sic aptissi-
me in proposito exponendum in *l. falsus 43. §. si
jactum, de furtis*, cum Accursio, & Antonio Fabro
in dicto *l. 2. §. final. ff. ad leg. Rhodiam, prope finem*:
hancque fuisse Ulpiani mentem ipsemet explicuit
Ulpianus ex Labeonis, & Cassii sententia in *l. si fi-
nita 15. §. si quis metus, ff. de damno infecto*: quem
in hanc rem noviter produco, & à dissensu vini-
co, quo à cæteris peritis descivisse putatur.

Supra traditis adhuc obstat textus in *cap. Gon-
saldus 17. quest. 2.* ubi Gonsaldus Presbyter inquit
mitatis languore depressus monachum se fieri pro-
misit? & tandem Alexander II. negavit, eum
verè monachum factum fuisse: ergo quia professio
emissa ægritudinis tempore nulla est. Pro cujus
difficultatis solutione dicendum est, Summum
Pontificem in eo textu negasse Gonsaldum mo-
nachum non esse ob metum ex ægritudine immi-
nentem; sed quia per annum probationis vellem,
& vitam monasticam non peregerat: unde ex eo
textu rectè à contrario sensu deducitur, accedenti-
bus aliis professionis solemnitatibus, prætextu ægri-
tutinis professionem ejus tempore emissam non
vitiari, ut deducunt Suarez *dict. cap. 7. num. 7.*
Feloaga *suprà, num. 50.* & alia pro ipsius textus in-
terpretatione adduxi in *cap. ex transmissa, de re-
nunciatione.*

Deinde obstat textus in *cap. in presentia, de pro-
bat. in cujus serie supponitur, votum religionis*
factum ab ærototo deberi post convalescentiam in-
novari: igitur quia à principio nullum fuit ob ægri-
tutinis metum. Cui difficultati respondendum
est, ea verba, *Quod voti facti paritens, &c.* non es-
se Pontificis, sed partis allegantis, ubi notavi.

CAPUT XVIII.

Idem Priori, & Conventui (a) Diluomenensi.

Licet quibusdam monachis, & canonicis, nec non & Hospitalariis, & Templariis à Sed. Ap. sit (b) indultum, ne postquam aliquis professus fuerit apud eos, ad alium locum possit ipsis invitis, arctioris etiam religionis obtentu transire ut secundum Apostolum unusquisque in ea vocatione permaneat, in qua dignoscitur esse vocatus. Quia tamen ubi spiritus Dei est, ibi libertas; & qui spiritui Dei aguntur, non sunt sub lege, quia lex non est posita (c) iusto: ea ratione videtur hoc illis fuisse concessum, ne quis ex temeritate, vel levitate in iacturam, & ruinam sui Ordinis, sub prætextu majoris religionis ad aliam transvolaret, sicut frequenter à multis constat esse (d) præsumptum: non quidem, ut ei transeundi licentia denegeretur, qui eam cum humilitate, ac puritate duxerit postulandam, quâ non fictè, sed verè ad frugem melioris vitæ valeat transmigrare. Talis ergo, postquam à Prælato suo transeundi licentiam postulaverit, ex lege privata, quæ publicæ legi præjudicat, absolutus, liberè potest sanctioris vitæ propositum adimplere, non obstante proterva indiscreti contradictione Prælati; quia privilegium meretur amittere, qui concessâ sibi abutitur potestate: cum & Rom. Pont. qui supremam obtinet in Ecclesia potestatem, Archiepiscopis, & Episcopis concedendi licentiam ex iusta causa petentibus sine difficultate (e) concedat. Quocirca noverrint universi, quibus huiusmodi privilegium est concessum, se ad concedendum transeundi licentiam taliter postulantis de jure teneri; quia sicut subditus à Prælato cum humilitate, & puritate debet transeundi licentiam postulare, ne bonum obedientiæ contemnere videatur: sic profectò Prælati subdito sine difficultate, & pravitate qualibet debet transeundi licentiam indulgere, ne videatur propositum impedire divinitus inspiratum. Si verò probabiliter dubitetur, utrum quis velit ad ordinem arctiorem, an laxiorem ex charitate, an temeritate transire, superioris iudicium est requirendum, ne fortè angelus sathanæ in lucis angelum se transformet: illâ semper regulâ inviolabiliter observatâ, ut nullus absque licentia Rom. Pont. præsumat occasione quacunque deserere (f) Præfulatum: quoniam sicut majus bonum minori bono præponitur, ita communis utilitas (g) speciali utilitati præfertur: & in hoc casu rectè præponitur doctrina silentio, sollicitudo contemplationi, & labor quieti: ad quod utique designandum unigenitus Dei filius Jesus Christus, non de Rachele secundum carnem natus est, sed Lia: nec legitur cum in domum suam Mariam excepisse, sed Martham. Unde quando potest Episcopus præesse pariter, & prodesse, non debet cedendi postulare licentiam, aut etiam obtinere. Cum ergo dil. f. R. monachus vester ad fratres (h) Cisterciens. Ordinis transmigraverit, non ut Ordini vestro aliquatenus derogaret, sed ut apud eos vitam doceret arctiorem: disc. v. per A. f. m. quat. super eo, quod de corde bono, & conscientia pura, & fide non ficta fecisse dignoscitur, eum nullatenus molestetis: quia charitas est fons proprius, cui non communicat alienus.

NOTÆ.

1. (a) *Diluomenen.* Ita legitur in tertia collectione, sub hoc titulo, cap. 4. in sexta autem legitur, *Diuolsensi*. Glossa autem marginalis emendat, *Dubiolsensi*, seu *Dunolsensi*. Unde adeo corrupta manet hæc inscriptio, ut non facile cognosci possit monasterium, cujus Priori in præfati rescribit Innocentius.
- (b) *Indultum.* Quas constitutiones citat Hostiensis hic.
- (c) *Postea iusto.* Hæc verba exposui in cap. 1. de consir.
2. (d) *Præsumptum.* Paucis enim bene cessit Ordinis proprii mutatio; immò sæpe sæpius infelicitate, ut docet D. Bernardus in apolog. ad Guillel. Abbatem, dum ait: Scio nonnullos de aliis Congreg. D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. III. Pars II.

gationibus, & Institutionibus, ad nostrum Ordinem pervolasse, pulsasse, intrasse, qui hoc quidem agenda suis scandala reliquerunt, & nobis nihilominus attulerunt: dum quantum illos suâ temerariâ discessione, tanto nos turbarunt suâ miserâ conversatione: quoniam superbe spreverunt quod tenebant, & temerè præsumperunt quod non valebant. Quod & horribilibus exemplis probatur; nam Gerson episc. ad quendam Carthus. tom. 1. consid. narrat Joannem Borbonium Cælestinum, sub districtioris Ordinis obtentu receptum à Franciscanis de Observantia, paulò post abcessisse, uxoremque duxisse, & ab ejus propinquis occisum fuisse. Refert etiam Picardus in notis ad episc. 29. Anselmi, Franciscanum quem

quendam Bammethianum praepostero arreptum zelo expetiisse Capucinos, ubi mox à damonio impetitus habitum, & funem abiecit. Alia referunt Thomas à Kempis 2. p. *serm. ad novit. serm. 5.* Haaphtenus *disquis. monast. lib. 4. tract. 2. disquis. 6. num. 3.* Menardus *in notis ad concord. regul. fol. 1006.*

(c) *Concedat.*] Ut probavi in cap. quoad translationem, de renunc.

(f) *Præfulaum.*] Juxta adducta in cap. 1. de renunc.

(g) *Utilitas specialis.*] Consonat D. Augustinus *lib. 19. de civit. Dei, cap. 19.* Otium sanctum quarit charitas veritatis; negotium justum suscipit necessitas charitatis. Quam sarcinam si nullus imponit, percipienda, atque juranda vacandum est veritati; si autem imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatem: sed nec sic omnino veritatis delectatio deferenda est, ne suberatur illa suavitas, & opprimat ista necessitas. Videndus D. Thomas 2. 2. *quest. 182. artic. 1.*

(h) *Cisterciensis.*] De quo ordine nonnulla adduxi in cap. 9. de rescript.

COMMENTARIUM.

4. *Conclusio referatur et probatur.*

EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: Religiosis zelo sanctioris vite licet ad religionem strictiorem transire, petita licet non obtenta sui Praelati licentia. Probant eam textus in cap. non est nobis, juxta communem intellectum, hoc rit. cap. sane, hoc ritul. cap. statumms, cap. mandamus 19. *quest. 3. cap. 1. 20. quest. 4. extravag. anam, hoc ritul. inter communes. Trident. sess. 14. de reform. cap. 12. & sess. 25. de regul. cap. 4. & 19.* Illustrant ultra congeitos à Barbosa hic, & de jure Eccles. *lib. 1. cap. 44. num. 76.* Ricciulus de jure person. *lib. 8. cap. 4. cum sequent.* Balboa in cap. 3. de jurejur. *num. 53.* Azor *part. 1. Instit. lib. 12. cap. 14. & 15.* Haaphtenus *lib. 4. disquis. monast. tractatu 2. disquis. 6.* Scortia in *select. Pontif. constit. epit. 30. theorem 79.* Sanchez *lib. 7. in Decalog. cap. 7.* Suarez *tom. 3. de relig. lib. 3. cap. 8.* Tamburinus de jure *Abbat. lib. 1. disputat. 21.* Rota apud Posthium de *manutent. decis. 164.* Stunica de *voto quest. 3. num. 30.* Zypæus ad *hunc ritul. respons. 9.* Araujo in *decis. mor. tract. 6. quest. 26. num. 28.* Theophilus Raynaud. *tom. 17. de apost. a relig. capite 1.* Thom. Delbene *part. 2. de offic. Inquisit. 236. sect. 252.*

5. *Impugnatur tradita assertio.*

Sed hæc assertio difficilis valde redditur sequenti juris consideratione; nam monachum alienum recipere sine litteris commendatitiis proprii Abbatis, sacris canonibus est prohibitum. Concil. Agathense apud Gratianum in cap. *monachum 20. quest. 4. ibi: Monachum nisi Abbatis sui aut permisso, aut voluntate, ad alterum monasterium commigrantem, nullus Abbas aut suscipere, aut retinere presumat.* Quæ verba licet non reperiantur in ipso Concilio, ut jam notavit Bosquetus ad *Innoc. lib. 1. epist. 150.* extant tamen alia eundem sensum exprimentia. Synodus 7 *can. 21. ibi: Non oportet monachum, vel monacham proprium relinquere monasterium, & in aliud se conferre; si hoc autem contigerit, ipsam hospitem recipi est necessarium: sed eum recipi sine mente monasterii Praefecti non convenit.* Igitur non licet religiosis sine sui superioris licentia etiam ad strictiorem religionem transire. Secun-

dò difficilis est hæc Innocentii Decretalis, dum ea deciditur, zelo sanctioris, & perfectioris vite licere transire ad strictiorem religionem, petita prius à superiore licentiâ; nam ad commutandum votum evidenter in melius, nulla est necessaria superioris auctoritas, cap. 3. de *jurejur. ibi: Promissum non infringit qui illud in melius commutat.* Et cap. *scriptura, de voto;* eâ ratione, quia evidenter commutatio fit in majus bonum, ut docuerunt Lessius *lib. 2. de justitia, cap. 40. num. 87.* Azor *tom. 1. instit. lib. 11. cap. 18. quest. 1.* Cajetanus, Covar. Valentia, & alii, quos refert, & sequitur Balboa in *dict. cap. 3. de jurejur. num. 48.* igitur cum evidenter religiosus transit ad strictiorem, & strictiorem vitam, nulla necessaria est superioris licentia. Tandem pars illa præsentis decisionis, ubi asseritur, sufficere, quod petatur licentia à Praelato, licet non concedatur, difficilis est; siquidem quando licentia petenda est ad actum celebrandum, non sufficit eam petere, nisi simul fuerit concessa, cap. *religiosus, de testam. in 6.* igitur si in præferti casu erat petenda licentia superioris, expectari necessitatio debebat.

Adhuc tamen defendenda est præfens Innocentii decisio, pro cujus expositione scire oportet, quod licet apud antiquos transitus ad monachorum de una religione ad aliam parum in usu esset, quia levitatis, morumque prævaricationis indicium erat, unde D. Bernardus de præcept. & dispens. improbat transitum ad aliam religionem, etiam vite strictioris causa, his verbis: *Secundo de religiosis ac bene ordinatis monasteriis nullus professorum, meo consilio, ne arduis quidem vite desiderio, sine licentia sui senioris egredietur.* Egressus tamen, si melius invenerit, & elegerit, meo nihilominus jam consilio non regredietur ad inferius bonum, quod reliquerat, & contemnerat præ meliori: præsertim si illud melius tale fuerit, quod ejus primæ professionis congruere videatur. Cur autem ne strictioris quidem vite desiderio ad alium Ordinem transitum consiliet, has ipse postea rationes subnectit: *Primo propter scandalum ipsorum, quos deserit. Deinde quia certa pro dubiis relinquere, tutum non est. Foran enim hoc tenere potest, illud non poterit. Tertio suspectam habeo levitatem, quæ id sæpe quod facile volentibus antequam probamus, experti jam notamus, mox prope momento id ipsum & cupientes, & resistentes, tam leviter, quam irrationabiliter. Quales utique non paucos frequenter experimus, qui una vix hora in una voluntate durantes, aut à levitate impulsivi vagi, & instabiles, hac & illac velut ebrii nutant, mutantque pro experimento judicium, immo sine iudicio fluctuantes, spe tumultuantes, tot de se consilia præsumunt, quot loca revisent. Accedit quod loci mutatio raro facit meliorem, juxta illud Horatii epist. 11.*

Cælum, non animum mutant, qui transiunt mare currunt.

Quodque ut plurimum falsâ mutationis loci consolatione propositâ, verâ animi levitate vocationem suam deserit monachus, & claustrum fugit.

Insolabiliter tamen istuc mens, animusque fert, & amat spatium obstantia rumpere claustra,

Cui placet alterius, sua nimirum est odio fors, Scelus uterque locum immeritum causatur inique.

Inquit

Inquit ipse *epist.* 14. Sed reverà (ut argutè ipse subdit :)

In culpa est animus, qui se non effugit unquam.
Nec omitendus est Lucretius rem luculenter exponens *lib. 3. de rebus natur. in fine.*

*Si possent homines proinde ac sentire videntur
Pondus inesse animo, quod se gravitate fatiget,
Et quibus id fiat causis cognoscere, & unde
Tanta mali tanquam moles in pectore consistet,
Haud ita vitam agerent, ut nunc plerumque
videmus.*

*Quid sibi quisque velit, nescire, & quarere
semper*

Commutare locum, quæstionis deponere possit.

Et post aliqua, quibus inquietum demutantis loca animum pingit, concludit:

Hoc se quisque modo fugit.

Verùm quia juxta ipsum D. Bernardum *dicto cap. 20.* duce spiritu libertatis licet transire de loco ad locum; ideo Ecclesia permittit transitum religiosus de una Religione ad aliam, ita ut licet nullus ordo, seu monasterium integrè ad aliud incursulo Romano Pontifice transire non possit, *cap. unic. §. firmatos, de relig. domib. in 6.* tamen privatus, sive vir, sive fœmina, studio perfectioris vitæ ad aliam Religionem transire possit, licentiâ petiti à proprio Prælato, qui dum eam concedit, non debet absolvere religiosum ab obedientia. Concil. Salzberg. tempore Gregorii X. *can. 2. ibi: Sed nec licitum sit Abbatibus, cum nec unquam licuerit, monachos ad ordinem strictiorem transientes absolvere ab obedientia, quæ monachorum obsequio inseparabiliter est affixa.* Non tamen licet ad laxiorem sine licentiâ Romani Pontificis transire. Trident. *sess. 25. de regul. cap. 19.* Ricciulus *dict. lib. 8. de jure person. cap. 1.* Sed si de facto transeat religiosus ad strictiorem religionem, non ideo creditur apostata, vel in excommunicationem incidit, ut pluribus relatis probat Gibalinus *de clausur. disquisit. 2. cap. 2. §. 3. num. 24.* Restituendus tamen est priori Prælato, donec cognoscatur, an strictior sit Religio, ad quam transire vult, *cap. non est, cap. Joannes, hoc tit. Azor. dict. lib. 12. instit. p. 1. cap. 14. Zypæus respons. 19. ad hunc tit.* In hoc tamen examine non attenditur utra Religio sit perfectior, sed quamnam strictior sit. Ricciulus *dict. lib. 8. cap. 6.* Quæ tamen dicantur strictiores, asperioresve religiones, exponunt Barbosa *in presenti*, Ricciulus *dict. cap. 7.* ad quam partem spectant textus in *Clement. ut professores, hoc tit. extravagans Martini IV. hoc tit. communes.* Trident. *sess. 14. de reform. cap. 11.* Et idem in monialibus transeuntibus ad alia monasteria statuitur in Concil. Augustan. *can. 8.* Sanctimonialis, quæ spontaneâ voluntate strictioris vitæ proposito se alligare voluerit, nulla re obstantè, id quod bona intentione disposuerat peragendum ab Episcopo non impediat. Resolvit Tamburinus *ubi supra*; & quis dicatur superior quoad licentiam petendam, & alia dubia, quæ circa transitum regularium evenire solent, examinant, & resolvunt Azor, & Suarez *ubi supra*, Martini *allegat. 105.*

7. Ratio præsentis decisionis, quare videlicet religionis permittatur transitus ad strictiorem religionem, provenit ex zelo perfectioris vitæ, quo motus religiosus, & Dei inspiratione du-

ctus, strictiorem appetit religionem; quo casu cum divinæ inspirationi impunè resisti non possit, *cap. due sunt 19. quest. 2.* ideo potest quis studio, & zelo perfectioris vitæ desistere propriam religionem & ad strictiorem transire: sed quia hoc facere debet cum humilitate, ideo prius debet petere licentiâ à proprio Prælato; & quia sæpe sæpius per indiscretam Prælati denegationem impediretur propositum sanctioris vitæ, *cap. Julianus 11. quest. 3.* ideo sufficit eam petere, licet non obtineatur, ut in aliis juris casibus plerumque contingere solet, in *cap. cum olim, de arbitris.* Valde tamen attendenda est similis transitus causa, quæ plerumque simulatur ex studio, & zelo strictioris vitæ, cum plerumque ex diaboli tentatione proveniat. Unde similes transitus reprehendens Petrus Blesensis *lib. 9. epist. 19.* ait: *Ranas, & muscas inquietantes penetrantia cordis vestri, utinam addicere, vel potius exterminare brevi admonitione possem; Non ignoro apud Aristotelem dubitare de singulis non esse inutile; teneo autem apud Hippocratem, quod mutationes maxime generant morbos.* Dicit Gregorius, quod *plantæ, quæ sæpe transpionuntur, radices non mittunt.* Et Anselmus *lib. 1. epist. 29.* eundem transitum increpans ait: *Quod si sibi videretur majora quadam, ac utiliora spirituali fervore appetere, quam illi præsentis monasterii institutionibus liceat, æstimet aut se falli, sive preferendo paria paribus, sive minorâ majoribus, vel presumendo se posse, quod non possit, aut certe credat, se non meruisse quod desiderat.* Plura pro improbandis hujusmodi mutationibus cumulat Haaphteaus *lib. 4. disquis. tract. 2. disquis. 6.*

Nec obstat dubitandi ratio supra adducta; nam in juribus ibi expensis non agitur de transitu monachi ex una religione ad aliam zelo perfectioris vitæ, sed de transitu de uno cœnobio ad alium ejusdem ordinis, ut jam notavi *in cap. non est 7. hoc tit.* quod casu sine literis commendatiis proprii Prælati non potest monachus etiam petitiâ licentiâ, sed non obtentâ, recipi in alio monasterio ejusdem ordinis, ex rationibus adductis *in dict. cap. 7.* Non obstat secunda difficultas; nam verum est, quemlibet posse propriâ auctoritate votum à se emissum in melius commutare, quod ex præsentis textu probatur. Siquidem in eo ait Innocentius, etiam renuente proprio Prælato posse religiosum transire ad strictiorem religionem, ut jam notavit Balboa *in dict. cap. 3. de jurejur. num. 53.* Debet tamen peti licentiâ à proprio Prælato, ne temerè, & ex levitate, & in obedientiæ contemptum transitus fiat; sed si legitime petatur, & Prælatus renuat indiscretè eam concedere, tunc poterit religiosus ad strictiorem religionem transire. Nec obstat ultima difficultas, cui satisfacit Morla *in empur. tit. 12. quest. 10.* dum asserit, in præsentis speciale jus circa transeuntis ad religionem strictiorem constitui, quod in aliis casibus non observatur; nam ideo religiosus debet petere licentiâ à proprio Prælato, ne ex obedientiæ contemptu, aut levitate animi transferat se; Prælatus verò tenetur eam justè petenti concedere: quare si neget, injustitiam facit; nam talis licentiâ non pendet ex ejus libera voluntate, sed ex boni, justique viri arbitrio, & ita si injustè denegetur, pro concessa habetur.

8. Dissolvitur dubitatio.

CAPUT XIX.

Idem *Præposito, & Decano, & Scholastico de Miren.*(a) *Coloniens. diæc.*

Veniens ad Apost. Sedem G. mulier latrrix præsentium simplici nobis insinuatione monstravit, quod cum matrimonium cum E. de Herd. Coloniens. diæc. in facie Ecclesiæ contraxisset, & diutius cohabitasset eidem, orta est dissensio inter ipsos, & sic suadente humani generis inimico, quod deinceps alter non requireret reliquum, uterque corporaliter præstitit juramentum. Hanc tamen vir ipse causam divortii assignavit, quod quandam ipsius mulieris amitam (b) cognovisset antequam eam duceret in uxorem: sed licet hoc assererent quamplurimi, non tamen fuit super hoc Ecclesiæ facta fides. Cum autem postmodum ad secunda vota convolasset uterque, secundo viro viam universæ carnis ingresso, adhuc priore superstite viro dicta mulier se fecit in arcto (c) loco ad penitentiam agendam includi, ubi sex annis in devotione peractis, audiens à quibusdam discretis, & religiosis personis, quod sic salvari non posset, ad Apost. Sedem accessit, humiliter postulans, & devotè, ut ei dignaremur impendere consilium salutare. Nos igitur attendentes, quod illud fuit illicitum (d) juramentum, disc. v. per A. f. m. quar. præfatum virum monere attentius, & inducere procuretis, eum si necesse fuerit, per cens. eccl. ap. rem. cogentes, ut eâ; quam superduxit, exclusâ, præfatam recipiat mulierem, audituri postmodum si quid fuerit quæstionis, & illud debito fine appell. rem. decideri. Si verò contra matrimonium nihil fuerit ostensum, & vir seculo derelicto maluerit ad (e) regularem vitam migrare, vos ei super hoc licentiam tribuatis, ut & illa sic possit in suo, sicut desiderat, proposito remanere.

NOTÆ.

1. (a) *Coloniens.*] Ita legendum est, non *Colocens.*, ut legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 6.* nam in præfenti agitur de Coloniens. diæcesi Agrippina, ut notavit Chopinus *lib. 1. de sacra pol. tit. 3. num. 1.* De Ecclesia Coloniens. nonnulla notavi in *cap. 7. de arate, & qualr.*
2. (b) *Cognovisset.*] Quod si Ecclesiæ constaret, separandi erant, juxta ea, quæ dabimus in *cap. super eo, de eo qui cognovit consanguin.*

(c) *Arcto loco.*] Monasterio videlicet, juxta tradita in *cap. 1. hoc tit.*(d) *Juramentum.*] Quia non fuit factum animo servandi castitatem, quod valeret, ut dicimus infra, *tit. proximo*; sed ex ira, & levitate, ut post Thomam Sanchez docet Barbosa in *præfenti.*(e) *Ad regularem vitam.*] Et ita ex mutuo consensu religionem profiteatur, juxta textum in *cap. 1. ubi commentarium hujus textus dabimus, de convers. conjug.*

CAPUT XX.

Idem *Abbati de Affigen. (a) & Magistro R. & G.**Canonicis Trajecten.*

Consulti sumus frequenter à multis, utrum is, qui monasterium est ingressus habitum sumendo novitii, si ante professionem emissam infra tempus probationis voluerit exire, licet possit absque apostasiæ nota, vel noxa, præsertim cum debita morum correctione ad seculum remeare. Licet autem super hoc senserint diversi diversa; nos tamen credimus distinguendum, utrum is proposuerit absolute (b) vitam mutare, ut sub habitu regulari omnipotenti Deo de cætero famuletur; an conditionaliter experiri obedientiam regularem, ut ita demùm, si sibi placuerit, profiteatur Ordinis disciplinam; aut si forsitan non placuerit, moribus emendatus ad statum pristinum revertatur. In primo casu debet, ut regulariter vivat, ad laxiorem saltem regulam pertransire: in secundo potest in seculo, non tamen ut vivat seculariter, remanere: & ut quæ sit ejus intentio, plenius agnoscatur, propositum suum in principio protestetur. Hac ergo distinctione diligenti meditatione pensatâ, dil. f. Trajecten. Decanum inquiratis sollicitè quæ videretis requirenda, & statuat canonice, quæ videritis statuenda.

NOTÆ.

NOTÆ.

1. (a) **A**ffligen.] Hæc inscriptio corruptè habetur in tertia collectione, sub hoc tit. cap. final. Affligentium enim potens admodum est monasterium, in Cameracensi olim diocesi, nunc Malchiliniensi situm; fundatum in honorem D. Petri

ab Henrico III. Lobani Comiti anno 1086. ut referunt Aubertus Mireus in orig. Benedict. Bucelinus tom. 1. German. sacr. fol. 3. Fratres Sarmathani tom. 4. Gall. Christi. fol. 9.

(b) *Vitam mutare.*] Nam tunc censetur renunciale anno probationis, & ita professionem emitte, ut docuit Gutierrez lib. 2. canonic. cap. 22. num. 33.

CAPUT XXI.

Ligoniensi (a) Episcopo.

(b) **P**ostulasti per Sedem Apostolicam edoceri, quare contra Judæum procedere debeas, qui manus iniecit in quendam Presbyterum violentas. Ad quod fraternitati tuæ breviter respondemus, quod si dictus Judæus tuæ jurisdictionis existit, ipsum penam pecuniariam punias, vel aliam secundum quod convenit, temporali, faciens percusso satisfactionem congruam exhiberi. Alioquin dominum ejus moneas, & inducas, ut passo injuriam, & Ecclesie ab eo satisfieri faciat competenter. Quod si dominus ejus id neglexerit adimplere, tu Christianis per censuram ecclesiasticam interdicas, ne cum ipso Judæo, antequam satisfaciat, presumant commercia exercere. Consequenter quaesisti, quid facere debeas de quodam captivo, qui se falso Episcopum asserens, altaria consecravir, & alia plura exercuit, quæ ad officium pertinent Præfulatus. Ad quod tibi taliter respondemus, ut illa, quæ taliter egit, irrita nuncies, & ipsum perpetuo carceri facias mancipari, pane doloris, & aqua angustia sustentandum. Tertio quaesivisti, utrum illi, qui in annis (c) minoribus constituti, novitiorum habitum susceperunt, & infra annum postmodum facta professione ad seculum sunt reversi, & ab Episcopis suis hoc scientibus ad sacros Ordines sunt promoti, sustineri debeant in illis Ecclesiis ministrare, in quibus fuerint ab eisdem Episcopis instituti. Nos ergo fraternitati tuæ breviter respondemus, quod propter hoc non sunt ab ipsis Ecclesiis amovendi, sed in eis possunt liberè ministrare, nisi forte prudentia suppleverit in illis aetatem, ut saltem transire debeant ad regulam laxiorem; cum ipsi absque protestatione religionis habitum assumendo, vitam præsumantur proposuisse mutare. Datum Lateran. v. Idus Junii, Pont. nostri anno v.

NOTÆ.

1. (a) **L**igoniensi.] In quarta collectione, sub hoc tit. cap. 1. legitur *Legioniensi*, sed tam inscriptionem, quam litteram restituit ex Registro epistolarum Innocentii edito à Bosqueto, ubi lib. 3. regestr. 15. epist. 126. reperitur textus hic.

De Ligoniensi Ecclesia egi in cap. 8. de rescript.

(b) *Postulasti.*] Hæc priora verba referuntur in cap. postulasti, de Judæis, ubi exponemus.

(c) *Annis minoribus.*] De aetate ad professionem emittendam necessaria egi in cap. quia in infans, supra relato, ex quo commentario præfens petendum est.

CAPUT XXII.

Honorius III. Episcopo (a) Venetensi.

EX parte tua fuit propositum coram nobis, quod nonnulli sunt in diocesi Venetensi, qui licet pluribus annis gestaverint habitum monachalem, professionem tamen monasticam non fecerunt; undè cum super eo quod habent proprium, & aliàs regulariter vivunt, à te, vel ab aliis arguuntur, non erubescunt dicere, se ad carentiam proprii, & continentiam, ac alias regulares observantias non teneri, cum habitus nequaquam monachum faciat, sed professio potiùs regularis: quare super his Apostolicum postulasti remedium exhiberi, cum inordinata vita prævaricatorum hujusmodi non solum eis periculum, sed etiam scandalum inferat mentibus aliorum. Ideoque fraternitati tuæ mandamus, quatenus quoslibet tibi lege diocesana subjectos, qui prædicto modo terras viis ingrediendo duabus, juxta Prophetam vè sibi, & perditionem acquirunt, ut postquam per (b) annum gestaverint habitum monachalem,

nachalem, regulam quoque secundum formam ordinis profiteantur & servent, monitione præmissa, per censuras ecclesiasticas appellatione remota compellas.

NOTÆ.

- i. (a) **V**enetens.] Ita legitur in quinta compilatione, sub hoc tit. cap. ult. ex qua ita restituo textum hunc. Guillelmo Præfule Venetensi, qui fuit ab anno 1223. usque ad annum 1236. missa est præfens epistola. Venetensis civitas est in Gallia, cujus meminerunt Strabo lib. 4. Plinius

lib. 4. cap. 18. Jobelinus lib. 3. comment. de rebus Pij I. Cæsar lib. 3. cap. 2. Habet Ecclesiam Cathedralam D. Petro dicatam; de qua agunt Fratres Sarmathani tom. 3. Gall. Christ. fol. 1156. Ejus Episcopo Guillelmo missa est præfens epistola.

(b) *Per annum.*] Ad probationem videlicet assignatum, de quo egi supra in cap. super 9.

CAPUT XXIII.

(a) Gregorius IX.

Statuimus novitios in probatione positos ante susceptum religionis habitum, qui dari profitentibus consuevit, vel ante professionem emissam ad priorem statum redire posse liberè intra annum, nisi evidenter appareat, quod tales absolutè voluerint vitam mutare, & in religione perpetuò Domino deservire; cum quilibet renunciare valeat ei, quod pro se noscitur introductum. Nihilominus statuentes ad omnem ambiguitatem penitus amovendam, quod cum in quibusdam locis religiosiorum habitus non distinguatur ab habitu professorum, professionis tempore benedicantur vestes, quæ profitentibus conceduntur, ut novitiorum habitus à professorum habitu discernatur.

NOTÆ.

- i. (a) **G**regorius.] Qui præsentem constitutionem edidit motu proprio, ad decidendam quæstionem toties agitatam, an videlicet pen-

dente probationis anno liceat deserte religionem, & habitum susceptum exuere? Quam ex novo, & veteri jure examinavi supra in cap. 9. hoc tit. ex cujus commentario præfens petendum est.

CAPUT XXIV.

Idem (a)

Ne religiosi vagandi occasionem habentes, salutis propriæ detrimentum incurant, & sanguis eorum de Prælatorum manibus requiratur: statuimus, ut præfidentes Capitulis celebrandis secundum statutum Concilii (b) generalis, seu Patres, Abbates, seu Priores (c) fugitivos suos, & ejectos de Ordine suo requirant sollicitè annuatim. Qui si in monasteriis suis recipi possunt secundum ordinem regularem, Abbates, seu Priores eorum monitione præviâ per censuram ecclesiasticam compellantur ad receptionem ipsorum, salvâ Ordinis disciplinâ. Quod si hoc regularis ordo non patitur, auctoritate nostra provideant, ut apud eadem monasteria in locis competentibus, si absque gravi scandalo fieri poterit, alioquin in aliis religiosiorum domibus ejusdem Ordinis, ad agendam ibi poenitentiam talibus vitæ necessaria ministrantur. Si verò hujusmodi fugitivos, vel ejectos inobedientes invenerint, eos excommunicent, & tandiu faciant ab Ecclesiis Prælati excommunicatos publicè nunciari, donec ad mandatum ipsorum humiliter revertantur.

NOTÆ.

- i. (a) **I**dem.] Gregorius videlicet IX. qui novam hanc constitutionem edidit pro religiosiorum fugitivis, & ejectis revocandis ad proprium monasterium: & licet cum aliis Azor pag. 1. instr. lib. 12. cap. 17. 9. 2. Sanchez in Decalog. tom. 2. lib. 6. cap. 9. num. 11. existimaverit, constitutionem hanc contrariâ consuetudine esse abrogatam; tamen confirmata & instaurata ea fuit lege novâ Urbani VIII. constitutione editâ die

21. Septembris anno 1624. ubi dum de apostatis religiosiorum, & ejectis decretum edidit, ita cavuit: *Præterea censuit esse innovandam, & sua beatitudinis auctoritate innovat constitutionem filiciter record. Gregorii IX. reletam in cap. final. extra de regul. ac propterea declarat, eam constitutionem in his quoque vindicare sibi locum, servandamque esse, qui justè, diffinitiveque, ac juris ordine servato expulsi fuerunt; dummodo tamen in expulsi hujusmodi subsit spes evidens emendationis, ex literis saltem testimonialibus Ordinarii, cujus conscientiam in his literis*

litteris concedendis sacra Congregatio seruo oneravit. Refert Barbosa in presenti, num. final.

(b) Concilii generalis.] Glossa hic, quam sequitur Hostiensis, eximitat verba hæc referri ad Concilium Lateran. sub Innocentio III. celebratum, & relatum in cap. in singulis, de statu monach. Cironius in parat. ad hunc tit. in fine, ab hac Glossa sententia discedit ex eo, quod in dicto Concilio Lateran. non agitur de religiosis fugitivis, & ita Gregorium IX. referendum esse ad Concilium Eborac. sub Cælestino celebratum, ubi vetitum fuerat, ne occasione negotiorum, aut peregrinationis religiosus absque locio iter arripere, teste Rogero in hist. Anglia. Sed eodem modo refellitur hæc Cironii sententia; nam in eo Concilio non agitur de monachis fugitivis perquirendis; nec fuit illud Concilium generale: quare non potest Gregorius referri ad Synodum illam. Credo ergo Gregorium respexisse ad Concilium generale, de quo in dicto cap. in singulis; non quia agatur in eo de monachis fugitivis perquirendis; sed quia statutum in eo fuit tempus celebrandi Capitulum à Regularibus, & formam in eo observandam Innocentius ibi præscripsit. Unde ait Gregorius in presenti: Statuimus, ut presidentes Capitulis celebrandis secundum statutum Concilii generalis, &c. Non enim Gregorius expendit Concilium generale ad firmendam suam constitutionem, sed relativè; ut cum Capitulum Regularium congregandum sit juxta formam præscriptam in dicto Concilio Lateran. generali, de fugitivis, & ejectis monachis perquirendis agatur: & ita libenter adhareo Glossæ, & Hostiensii in presenti.

(c) Fugitivos.] Fuga differt ab apostasia; nam fuga est recessus à monasterio, & obedientia, atque subjectione proprii Prælati, non tamen animo deserendi religionem, & manendi in seculo, sive ad illud redeundi; sed aliquandiu vagandi quocumque prætextu, sive retento, sive abjecto habitu; nam in l. quis sit fugitivus, ff. de adult. edict. ille fugitivus dicitur, qui extra Domini domum fuga causâ, quo se à Domino celare, mansit: quam explicat Villota de servis fugitivis, in princip. Apostasia est recessus à Religione, & obedientia Prælati proprii, cum animo deserendi omnino institutum, & non redeundi amplius ad religionem, sive habitum retinendo, sive illum abjiciendo: quare licet omnis apostasia à religione sit fuga, non tamen omnis fuga apostasia est. Ad fugam igitur requiritur iniqua discessio à conventu, & obedientia Prælatorum: ad apostasiam verò exigitur deinde animus deserendi religionem, & in seculo permanendi: quod discrimen agnoverunt Sanchez in Decalog. lib. 6. cap. 8. num. 2. aliis relatis Ferdinandus à Castro tract. 16. disp. 4. punct. 16. num. 2. Gibalinus de classis. regul. disp. 1. cap. 3. §. 1.

COMMENTARIUM.

4. **EX** hac Gregorii IX. constitutione sequens deducitur assertio: Religiosi fugitivi, & ejecti annuatim sunt requirendi, & cogendi, ut ad claustrum revertantur. Quæ conclusio probari potest ex Concilio Andegav. can. 9. ibi: Monachi, qui captam observationis viam relinquunt, & absque epistolis, & absque certis negotiis, vel necessitatibus per regiones vagantur alienas, cognitâ distri-

ctione, si se non emendaverint, ab Abbatibus suis, vel à sacerdotibus ad communionem non recipiantur. Vernense can. 10. ibi: Ut monachi, qui veraciter regulariter vivunt, ad Romanam Sedem, vel alicubi vagari non permittantur, nisi obedientiam Abbatis sui exerceant. Et si talis casus evenierit (quod absit) quod ille Abbas sic remissus, vel negligens inventiatur, ut in manus laicorum ipsum monasterium veniat, & hoc Episcopus emendare non poterit, & aliqui tales monachi ibidem fuerint, qui propter Deum de ipso monasterio migrare velint, propter eorum animas salvandas; hi per consensum Episcopi licentiam habeant, qualiter eorum anime possint salvari. Rhemense can. 25. Ne monachi, aut canonici occasionem quarant vagandi. Parisiense sub Ludovico, & Lothario lib. 1. cap. 36. Multi ecclesiastica regule subiecti, propositi, & loci sui desertores effecti, passim quocumque eis voluntas suaserit, posthabita auctoritate canonica pergunt, & non solum ab aliis Episcopis, & Abbatibus, verum etiam à Comitibus, & nonnullis aliis nobilibus viris recipiuntur. Quod quantum est à divina, & à canonica auctoritate discordet, in promptu est. Quod ne ulterius fiat, & ab Episcopis, & à cæteris ecclesiasticis Prælatibus observandum. Aurelian. 1. can. 19. Ipsi autem monachi, qui fuerint per vagati, ubi inventi fuerint, cum auxilio Episcopi, tanquam fugaces sub custodia revocentur. Tolet. 7. can. 5. Vult vagos ab Episcopis, seu Rectoribus monasteriorum, ex quorum congregatione fuerint, vel in quorum vicinitate consistunt, in monasteriis omni modo deputari. Synodus Constantin. 2. can. 3. apud Ballamonem: Si qui præest monasterio, eos qui ei subiecti sunt, monachos non cum multa diligentia requirat, vel inveniens non recipiat, sicut sancta Synodus cum segregationi subicit. Concilium Nican. 2. can. 21. Cæsaraugust. can. 6. Tolet. 4. can. 52. Religiosi proprie religionis, qui nec inter clericos, nec inter monachos habentur sive hi, qui per diversa loca vagi feruntur, ab Episcopis, in quorum conventu commorari nesciunt, licentia eorum coercantur, ut aut in clero, aut in monasterio deponentur. Salzeburgen. 1. tempore Gregorii X. can. 2. Eisdem Abbatibus præcipimus, & mandamus, ut monachos fugitivos in seculo divagantes revocare procurent, & secundum tempora Martini IV. determinamus, ut quicumque Prælati monachum fugitivum, vel ejectum ad monitionem Episcopi, Rectorum, vel Visitatorum Ordinis non receperit, ex tunc sit à temporalium administratione suspensus, donec recipiat Monachum vagabundum. P. Blesensis epist. 88. Illustrant ultra congestos in presenti à Barbosa, Bruno Chastaign. de privil. regul. tract. 4. cap. 6. proposit. 9. Hæphtenus disquis. monast. lib. 8. tract. 4. disquisit. 7. & 8. Tamburinus tom. 3. de iure Abbat. disquisit. 8. q. 7. Ferdinandus à Castro tract. 16. disp. 4. punct. 19. num. 2. Gibalinus de classis. regul. disp. 1. cap. 4. §. 11. Girago de regim. regul. p. 2. dub. 29.

Sed licet hæc assertio erga religiosos fugitivos sustineri possit, & facile procedat; tamen erga ejectos contraria videtur sacris canonibus, & ipsi regulis monachalibus; nam monachum incorrigibilem ejiciendum esse in perpetuum à monasterio, statuerunt Alexander III. in cap. relatum 7. ne clerici, vel monachi. Innocentius III. in cap. cum ad monasterium, de statu monach. Honorius III. in cap. ultimo, eodem tit. Et suis sanctis regulis idem statuerunt S. Augustinus epist. 109. quæ est ejusdem Regule, ubi de monacho

nacho incorrigibili ita ait: *Etiam si ipse non abscesserit, de vestra societate projicietur; non enim hoc fit crudeliter, sed misericorditer, ne contagione pestiferâ plurimos perdat.* Sanctus Benedictus cap. 28. de incorrigibilibus agens: *Tunc Abbas faciat, quod sapiens Medicus: si exhibuit fomenta, si unguenta exhortationum, si medicamina scripturarum divinarum, si ad ultimum unctionem excommunicationis, vel plagas virga, etiam si viderit nihil suam prevalere industriam, adhibeat etiam quod magis est, suam, & omnium fratrum pro eo orationem, ut Dominus, qui omnia potest, operetur salutem circa infirmum fratrem. Quod si nec istomodo sanatus fuerit, tunc jam utatur Abbas ferro abscessionis, ut ait Apostolus: Auferite malum ex vobis.* Et iterum: *Infidelis, si discedit, discedat, ne una ovis morbida totum gregem contamine.* Magister de eisdem agens, cap. 13. *Si placuerit Abbati, de monasterio expellantur.* Consonant Concilium Aquilgran. can. 134. *Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 318. D. Basilius interrog. 57. in reg. brevioribus: quorum verba refert Gibalinus d. cap. 4. §. 8. Igitur si rejectio religiosorum ita conveniens est, & consona juris dispositioni, & regulis monachorum, non rectè statuit Gregorius in præfenti, monachos ejectos annuatim esse requiringendos, & claustris, aut carceribus esse mancipandos.*

6. Quâ difficultate ita fultâ non obstantè, vera est præfens Gregorii constitutio: pro cujus expositione sciendum est, monachis, & quibuscunque religiosis ritè, & legitime professis prohibitum esse è monasterio exire invito, aut inconsulto Prælo. Concilium Turon. 2. can. 16. *ibi: Si qui in monasterio conversi sunt, aut converti voluerint, nullatenus exinde habeant licentiam evagandi.* Synodus Trul. can. 46. *ubi cum de claustris sanctimonialium ageretur, de monachis ita aiunt PP. Sed & viri, qui vitam monasticam persequuntur urgente necessitate, & ipsi cum benedictione ejus, cui regimen creditum est, procedant. Nec etiam prætextu peregrinationis Romanæ licet monacho è monasterio exire.* Concilium Vernense can. 10. *ibi: Ut monachi, qui veraciter regulariter vivunt, ad Romanam Sedem, vel alicubi vagari non permittantur.* Et quia varii prætextus quærebantur à monachis, ut exirent è monasterio, ut omnes vagandi occasiones præscinderentur, etiam negotii petagendi prætextu, egressus è monasterio absque Prælati licentia denegatur in Synodo Mogunt. sub Carolo, can. 20. *ibi: Ut omnia necessaria intra monasterium exercentur, ut non sit necessitas monachis, vel clericis vagandi foras, quia non expedit animabus eorum.* Meldense can. 57. *Ut monachi, quibus monasteriorum cura comissa non est, passim, & sine auctoritate palatii non adeant, nec in eo immorentur, vel ubi, & ubi discurrere, ac pervagari præsumant.* Synodus Romana sub Leone IV. can. 28. *ne monachi à monasteriorum claustris absque Abbatis, vel qui ab eo est constitutus, licentia, ad quodlibet opus exerendum egredi præsumant, l. 29. C. de Episcop. & cleric. Qui in monasteriis degunt, potestatem inde exendi ne habent.* Concilium Calced. cap. 4. *Trullan. canon. 46. l. 1. & 2. C. Theodos. de monachis.* Quæ omnia innovavit Trident. sess. 25. de regul. cap. 4. *Cum licentia tamen proprii Prælati possunt etiam perpetuò extra monasterium degere.* Quare cum Alexander II. in cap. juxta 16. q. 1.

præcipit monachis in claustrum morari, intelligendus est, nisi licentia Prælati præcedat; nam Pontifex ait, sequi se Chalcedonenis Concilii tenorem. Et in can. 4. ipsius Concilii ita legitur: *In quibus ordinati sunt loci, fortiter perseverantes, nec ecclesiasticis, nec secularibus negotiis se ingerant, vel communicent, propria relinquentes monasteria, nisi quandoque à civitatis Episcopo eis permillum fuerit.* Illa autem verba, quæ sequuntur in dicto cap. justa, ibi: *Ad normam S. Benedicti intra claustrum morari præcipimus; rectè exponit Gibalinus ita, ut sensus Alexandri sit, ut præcipiat omnibus monachis morari intra claustrum, prout S. Benedictus in sua regula præscripserat, videlicet, ne etiam prædicationis, aut peregrinationis causâ monachis liceret extra monasterium vagari; cum licentia verò Abbatis liceret è monasterio exire: quo modo etiam intelligitur textus in cap. placuit 2. 16. q. 1. juncto iplo Gibalino dicto cap. 2. §. 3. num. 9. & plura de claustrum Religiosorum congesserunt Navarus comment. 2. de regular. Suarez de relig. tract. 8. lib. 7. cap. 3. num. 3. Tamburinus de jure Abbat. tom. 3. disp. 8. q. 6. num. 3. Araujo tract. 3. q. 27. mor. Bonac. de claustr. q. 2. punct. 1. Unde tot Ecclésiæ legibus caurum reperitur, ne monachi extra claustra vagentur. Concilium Meldense dicto can. 57. probat Gibalinus dicta disquisit. 2. cap. 2. §. 3. Et leges Imperiales censuerunt monachum refugam ab Episcopo, vel Præfide, apprehensum in monasterium detudi debere: si denuò fugiat, militiâ, aut honore, quo fugebatur, spoliatum, inter officiales Præfidis Provinciae servire, Novel. 123. l. fin. & si servilis fuerit conditionis, pristino domino restitui debere, l. servi, C. de Episc. cler. novel. 5. l. fin. cap. 4. notatur Ballamon ad nomocan. Photii, tit. 9. cap. 32. Menardus in not. ad concord. regul. cap. 20. §. 7. Indeque è monasterio effugere, ut grave scelus, tam veteribus, quam novis Ecclésiæ legibus vindicatur, & in antiqua monastica disciplina fugitivos sponte redeuntis post emendationem Prælati recipiebant in ultimo gradu, & si tertio fugerent, non amplius eos recipiebant, juxta regulam D. Benedicti cap. 29. *Frater, qui proprio vitio egreditur, ac projicitur de monasterio, si reverti voluerit, spondeat prius omnem emendationem vitii, pro quo egressus est, & sic in ultimo loco recipiatur, ut ex hoc ejus humilitas comprobetur: quod si denuò exierit, usque tertio recipiatur; jam vero postea, siat omnem sibi reversionis aditum denegari.* Illustrat Gibalinus dicto cap. 3. §. 3. num. 26. & disciplinam hanc consonam esse aliis regulis Sanctorum PP. defendit Haaphtenus lib. disquisit. tract. 4. disquisit. 8. & Menardus ad concord. regul. fol. 1034. de penis fugæ conjunctè cum apostasia agemus in cap. final. de apost.*

Secundò sciendum est, ejectionem, seu expulsionem religiosi à monasterio adeo gravem peccatam esse, ut merito ejus usus in dubium revocetur à D. Isidoro cap. 16. regule, his verbis: *Quamvis frequentium, graviorumque vitiorum voragine sit quispiam immersus, ne forte qui potius per diuturnam penitendum emendari, dum projicitur, ore diaboli devoretur.* Facit etiam & illa ratio, nam cum religiosus tradiderit se religioni contractu quodam reciproco professionem suam acceptanti, sicut religiosus nequit habitum exuere, religionemque abjicere; ita nec religio poterit religiosum invitum ejicere, cum mutua sit,

fit, & aequalis utriusque obligatio. Nec hæc pœna ejecto, aut religioni ejicienti commoda esse potest; nam ejectus multò liberius peccabit, immò in omnia se vitia præcipitem dabit; unde non ejus emendationi per ejectionem consulitur: nec etiam Religioni conveniens est pœna hæc, siquidem alii ut liberius vivant, incorrigibiles fieri, ut ita ejiciantur. Unde cautius esse monachos incorrigibiles carceribus mancipare, quàm ejicere de monasterio, docuerunt Cardinal. in *Clement. ne in agro*, §. quia verò, de *statu monach.* Abbas in *cap. cum ad monasterium*, num. 13, de *statu monach.* Hostiensis in *summa*, tit. de *pœnis*, num. 4. Immola in *cap. cum in Ecclesiis*, num. 8, de *majori. & obed.* Angelus in *summa*, verbo *Abbas*, num. 18. Grassis *part. 1. decis. lib. 3. cap. 5. num. 145.* Sed contrarium, immò omni tempore in Ecclesia pœnam hanc ejectionis usitatam fuisse, constat ex canonibus suprâ relatis, & veteribus regulis Sanctorum Patrum; atque ejus usum defendunt Gibalinus *dicto* §. II. Haephtenus *d. disquis. 8.* Chassaing. *dicta proposit. 9.* quoniam bonum commune religionis præponendum est particulari. Unde cum utrumque non potest obtineri minus, id est particulare, postponendum est bono majori, videlicet communi. Hoc autem fieri non potest, nisi ovis morbida alios suo pravo exemplo, & improbitate inficiens, expellatur, & caro refectetur, ut docet D. Hieronymus *relatus in cap. rescanda 24. quest. 3.* Alioquin illorum exemplo ad similia inducerentur, ut satis experientia docuit. Non tamen ipsi ejecti propter ejectionem liberantur à votis emissis tempore professionis; unde si ita ejecti contrahant matrimonium, præterquam quod invalidum est, puniri possunt ab Inquisitoribus hæretica pravitatis, Plura de ipsis expullis, & eorum conditione tradunt Gibalinus, & Chassaing. *ubi suprâ*, Bravo *in not. ad regul. D. Benedicti*, cap. 26. Thomas Delbene *part. 2. de offic. Inquisit. dubit. 236. sect. 34.*

8. Traditur rati de. c. sup. li. Quibus ita animadvertis ratio præsentis affectionis provenit ex eo, quod cum fugitivi, & ejecti per fugam monasterium proprium privent utilitate & commodis, & quæ ex suis subditis habet, illudque suo discessu, ac divagatione infament, & aliis scandalo sint; ipsi verò in statu damnationis existant, debeantque Prælati communi bono religionis, & fame consulere, religiosorumque salutem spirituali prospicere, congrunt fugitivos annuatim requirere, & revocare, si possint, atque tum pœnis, tum aliis modis illos emendare, ut in præsentem Gregorius constituit, qui circa fugitivos tria præcipit. Primum, ut superiores illos sollicitè annuatim requirant: secundum, ut si in monasteriis recipi possint juxta ordinem regularem, Abbates & Prælati ad eos recipiendos compellantur, etiam per censuram ecclesiasticam, salvâ ordinis disciplinâ, hoc est, ut interpretatur Glossa, impositâ illis pœnitentiâ ex præscripto regula. Tertium, quod si disciplina regularis non patiat eos in illorum consortium iterum recipi intra eadem monasteria, in locis competentibus, vel in aliis domibus ejusdem Ordinis, id est, in carcere, ad agendam pœnitentiam includantur.

D. D. Gonzalez in *Decretal.* Tom. III. Pars II.

Nec jam obstat difficultas suprâ adducta, quâ oppressi classici repetentes hic, & Doctores suprâ laudati, varias huic constitutioni assignarunt interpretationes. Communiter docetur, textum hunc intelligi de ejectis injustè, vel ex defectu potestatis in dimittente, vel ex defectu causæ, seu ordinis judicialis non servati, qui debent requiri, & in monasteriis detrudi: quod secus procederet, si justè & per sententiam diffinitivam ejecti essent: ita docuerunt Navarrus *ad hunc titulum commentarii 2. num. 36.* & *lib. 3. consil. tit. de regul. in 1. edit. censil. 51.* Rodriguez *tom. 1. 99. regul. 9. 30.* Azor *lib. 12. instit. tom. 1. cap. 17.* alii relati à Thoma Sanchez *lib. 9. summa, cap. 9. num. 18.* Præsentem constitutionem ut contrariam consuetudini negligit Ferdinandus à Castro *tractatu 16. disput. 4. punct. 19. num. 2.* quem & sequitur Gibalinus *dicta disquisit. 2. cap. 4. §. II. num. final.* qui existimat, Gregorium in præsentem non agere de monachis ejectis absolutè, & in perpetuum, sed ad tempus duntaxat; qui nisi exacto tempore ad monasterium redeant, fugitivi censendi sunt, ideoque fugitivis comparantur, & simul cum ipsis requiruntur, & ad monasterium redire coguntur: puniendi tamen sunt in eodem monasterio, vel in alio ejusdem Ordinis, salvâ regulari disciplinâ. Sed hæc solutio proflus divinatoria est, cum generaliter Gregorius agat de fugitivis, & ejectis, nullâ adhibitâ distinctione inter ejectos ad tempus, vel in perpetuum. Quare omnis his solutionibus, pro vera hujus textus interpretatione sciendum est, olim Prælatos Religionum facultatem habuisse dimittendi monachos, etiam jam professos, cum illis videbatur religionis ejectio expedire: unde D. Benedictus in sua regula, *cap. 38.* ubi agit de professione monastica, statuit, ut illæ vestes seculares, quas novitius probationis tempore gestabat, & cum emittebat professionem exuebat, diligenter asserventur, ne si ad seculum redeat, discedat in habitu religioso. Idem statuit D. Basilius in *Ascecticis*, ubi innuit, olim discedere solitos monachos, facileque dimitti constituit ipse, *pag. 336. colum. 2. ad finem.* & *pagina 339. colum. 1. circa medium.* & in *regulis sus. disput. interrog. 28. 29. & 47.* & in *regul. brevior. interrog. 57. 61. 102. & 155.* Id etiam probatur ex D. Gregorio *lib. 2. dialog. cap. 5.* ubi agens de quodam monacho, qui in ordine D. Benedicti facultatem discedendi efflagitabat, ita inquit: *Cumque enim vir Dei assidue corripere, & frequenter admoneret, ipse verò nullo modo consentiret in Congregatione persistere, atque importunis precibus, ut relaxaretur, innumeret.* D. Augustinus *serm. 1. de commun. cleric. vit. ibi: Qui volunt habere aliquod proprium, quibus non sufficit Ecclesia Dei, maneat ubi volunt, ubique possunt, non eis aufero clericatum.* Quæ, & alia Sanctorum Patrum testimonia doctè expendens, hanc defendit sententiam Basilius Legionensis *quest. 3. scholast. capite 10.* cum autem Prælati hac facultate abutentes de monasteriis monachos ejicerent, quia postea per seculum vagabantur, statuit Gregorius, ut Prælati ipsos annuatim requirerent, & monasteriis manciparent: & postea Urbanus VIII. suprâ relatus constitutionem hanc innovans statuit, ut tantum ex gravissimis causis, dataq;

M m m incor-

in corrigibilitate Prælati possent religiosos è monasteriis ejicere.

10.
Exponitur
can.
21. Synod.
Rom.

Sed suprâ traditis obstat Synodus Romana sub Gregorio VII. can. 21. ibi: *Monachi, qui relinquunt suum habitum, vel absque licentia sui Abbatis vagantur, non recipiantur.* Ex quibus verbis expressè constat, monachos fugitivos, & vagantes non

esse amplius recipiendos: igitur frustra animatum requiruntur. Cui difficultati respondendum est, illa verba, *non recipiantur*, non esse referenda ad Prælatum proprium ipsius monachi fugitivi, sed ad alios Prælatos, sive Regulares, sive seculares, juxta textum in cap. 3. 20.

9. 4.

TITULUS XXXII.

De Conversione Conjugatorum.

CAPUT I.

Alex. III. *Eliensi* (a) *Episcopo.*



Præterea, utrum laicus uxoratus, qui presentibus sacerdotibus, & monachis, ignorante Episcopo, de licentia, & permissione uxoris suæ monasterium ingressus, & fortè professionem fecit, uxore in seculari habitu remanente, nec ad religionem transeunte, aut perpetuam continentiam vovente, ab Episcopo suo possit ad thorum uxoris revocari, an illa compellenda sit ad observationem continentia pertransire? Dicimus, quod nisi uxor ad religionem transierit, aut castitatem perpetuò servare promiserit, vir debet, & potest ab Episcopo de monasterio revocari; quia cum una caro sint effecti, non debet una pars in seculo manere, & altera ad religionem & castitatem transire. Verumtamen uxor monenda est, & propensius exhortanda, ut ad religionem transeat, & castitatem servare promittat.

NOTÆ.

2. (a) *Eliensi.*] In appendice Concilii Lateranensis, p. 5. cap. 4. legitur *Herefordensi*; sed in prima collectione, sub hoc tit. cap. 1. habetur, *Hiriensi*; & additur pars capituli Super eo; unde agnoscitur, in presenti referri partem textus in cap. super eo, de regul. & ita legendum esse, *Eliensi*, ut jam in ipso notavi.

tonius Augustinus in epit. jur. lib. 9. tit. 11. Concilium Abrincense tempore Alexandri III. can. 10. *Vir ad religionem non transeat, uxore in seculo remanente, vel conversi ambo vacandi operibus carnis tempus exceperint.* Illustrant ultra congeles à Haranna, & Barbola hic. Idem Barbola de potest. Episcop. alleg. 10. num. 45. & de jure Eccles. lib. 1. cap. 33. num. 126. & cap. 35. num. 12. & cap. 42. Basilius de marim. lib. 9. cap. 11. 12. & 13. & lib. 10. cap. final. Lantmetter. lib. 2. de veteri mon. cap. 102. Bellarminus tom. 1. controvers. lib. 2. de mon. cap. 37. Acuña in cap. assumi, distinct. 28. & in cap. 14. distinct. 32. & in cap. Episcopus, 77. distinct. Espenceus lib. 6. de voto continentia, capite 1. Azor tom. 1. instit. lib. 12. cap. 1. D. Nicolaus de Castro in §. 1. Instit. de emptione, num. 68. Tondutus resol. canonic. cap. 116. Wading, ad opera D. Francisci, fol. 246. Gazæus in notis ad Cassianum, collat. 21. cap. 9. fusè Thomas Hurtado tom. 2. de respondent. resol. 1. per totam. Cujacius in Novella 22. Justin. Balboa in cap. Gaudemus, num. 178. de divor. P. Gregorius lib. 3. parit. tit. 2. cap. 4. Joannes Datis ad Decret. in 27. q. 2.

COMMENTARIUM.

2. **E**X hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Vir non potest religionem ingredi, uxore remanente, immò nec consentiente, nisi simul convertatur ad religionem, si juvenis est; aut castitatem in seculo promittat, si senex.* Probant eam textus in cap. multorum, cap. Agathosa, cap. quia Agatho, & ferè per totam 27. q. 2. cap. si tu abfines, & ferè per totam 27. q. 2. cap. 14. 32. dist. cap. Episcopus, 77. distinct. cap. cum sis, cap. uxoratus, hoc titulo, cap. cum causa, §. præterea, de raptor. cap. lege 2. §. beatus, distinct. 10. cap. una sola, cap. quod Deo, cap. secundum 33. quæst. 3. Gregorius VII. in Synodo Romana anno incerto, cap. 20. ibi: *Si conjugatus vult monachus fieri, ex consensu mulieris fiat, ita ut illa fiat monacha, vel profiteatur castitatem; quia eo vivente monacho, nunquam habebit alium; similiter de muliere. Si quis istorum prævaricator fuerit mandatorum, excommunicationi subiaceat.* Refert An-

Sed pro dubitandi ratione expendam caput 9. collationis 21. Cassiani, in quo singulariter Abbatis Theonæ factum narratur, qui dimissa uxore etiam invitâ, & reluctante, ad Eremum, & monachatum se contulit, rationibus illis motus,